




VENETIIS IN TYPOGRAPHIA PINELLIANA
Superiorum permissu et Priuilegio. 1625.

ILLVSTRISSIMO,

& Amplissimo Senatori,

DOMINICO MOLINO.



LAVRENTIVS PIGNORIVS SAL.



Citum est illud, & decantatum antiquissimi Legum-latoris præceptum, Illustrissime Domine, vt mulier viro, cui liberi non obtigissent, orbata, conueniret in manum fratri viri sui, qui familiam emortuam suscitaret, et sisteret. Pium sane institutum, & quod humanitatem proxime attingeret. Quod si hoc placuit cordatis viris, & rerum mortalium incertos, & caducos exitus miserantibus, cur porro non placebit vniuersis benignum illud officium, quod impenditur politis, et doctis Ingeniorum imaginibus, quæ carissimorum pignorum locum, & vicem obtinent, si eas contigerit, vi aliqua maiore, suis parentibus priuari? Placebit sane, et nemo erit qui improbet, cum in hoc potissimum eluceat vetus Paroemia, vbi amici, ibi opes. Opes nimirum a fato, a rogo, ab ipsamet obliuione. Prædicauit olim de semetipso Cicero, et dignum laude duxit, quod Syracusis Archimedis sepulcrum pene eruisset e dumis, et nobilissimæ Ciuitati sui ciuis monumentum ostentasset. At

quanto

quanto maiore præconio celebrandum hoc, amplissime Domine, quod tu nunc consilio, ope, opera præstas? Erat apud me Religiosi viri Musæum, postumum, vt ita dicam, opus Jacobi Cauacij, quod ille viuens fidei meæ commendarat, vt lege inter amicos recepta, viderem, peruiderem, atq; ideo si videretur, & vbi videretur expungerem. diem obierat ille satis immature, cum ego multo post de lucubratione optima inieci mentionem, quam Tu diu latere non passus, monitis, & obtestationibus peruicisti vt ederetur, et in publicum aliquando prodiret. Macte virtute, & pietate DOMINICE MOLINE, cui debebit cœlum hoc nostrum, inter alia plurima, reduces musas, et non parua excitamenta nostratium Jngeniorum. Tibi igitur iure optimo sacratur hic fœtus, quem Auctor eximie coluit, patronum videlicet suum, et cui quã multa deberet. Ego sane laudaturos etiam nunc confido amicissimi viri ter beatos manes, quod hoc opus, nominis forte indigum et famæ, Amplitudini Tuæ data opera lubens, et volens inscripserim: Et ò nancisci licuisset omnes amici Auctoris litterarios labores, quos mala, & sacrilega manus plagiarij alicuius alio auertit; haberent profecto eruditi Lectores Epistolas, Carmina, et alia Litteraria monumenta, quibus se cum fructu perdiu oblectarent. Ex vnica sane Ode, quam ego apud me, & quidem autographam, delitescere non sum passus, admetientur studiosi, velut ex pede, Herculem hunc nostrum, si non Musagetem at mystam Musarum. Vale Vir Illustrissime, & Pignorium tuum ama vt facis.

Patauij Nonis Octobris. M. DC. XXIII.

LECTORI PIGNORIVS.



EMO forte melius nostra hac ætate monstrauit quid valeat viuida, & felix ingenij ab ipsa natura vis, quam IACOBVS CAVACIVS condiscipulus olim noster, & amicus omnium horarum. Is enim tenui patre, institore aromatariæ tabernulæ natus, in tenuiore censu, neque magno admodum profectu apud præceptorem Grammaticum in ipsa pueritia instructus, Casinensi familiæ, in clarissimo Cœnobio, cui apud nos D. IVSTINA tutelaris est, grandis iam natu, nomen dedit. Vbi raræ acerrimæ indolis felicitate, partim in exacto tyrocinio monasticæ institutionis, partim in quotidiano celebrique precum horariarum penso, Litteras latinas didicit eo Genij plausu, vt & prosa, & versu seria quæque, iocosa etiam pangeret luderetque ad miraculum vsque. Historiarum Libri sex, breuissimo temporis interuallo absoluti, eruditorum manibus teruntur, quos Phœnix Litteratorum ~~Isaacus Casaubonus~~, vnice mirabatur. Eodem naturæ fauentis impetu delineantem, penicillos tractantem, varias Litterarum figuras artifici plane manu ducentem, acu pingentem, Ichnographicas, & Ortographicas ædificiorum formas describentem, & explicantem vidimus olim non semel; & quidem stupentibus magni nominis Architectis. Ad hæc rei harmonicæ peritiam eo successu sibi comparauerat, vt & canere ad morosiorem illam Ecclesiasticam normam, & modulari ad recentioris concentus delicatas leges apprime nosset. Elogia hæc sacra, magni operis exiguam sectiunculam, vnius anni spatio elaborauit, pressus ingenti mole negotiorum, quibus par omnino erat, seu facto, seu consilio, seu eloquio esset opus: ingens omnino ornamentum futurus, & religiosæ familiæ, quæ alumnum suum certa spe ad maxima quæque destinauerat, & non ingratæ Patriæ, quæ illum inter præcipua gloriæ suæ columina iam tum adnumerabat; ni Mors sueta illudere mortalium votis, & optima quæque, in ipso plerumque florentis gloriæ exordio, surda, & implacabili falce sibi demetere, subita ingentis morbi veluti ruina oppressisset Venetijs annos natum V. & XL. anno salutis M. DC. XII.



Vixit in abrupto BENEDICTVS vertice montis,
Hoc propior cœlo, quo magis vrbe procul.

Virgineum florem torrebat amore Cupido,
Quem pater implicuit Sentibus, et necuit.

D. BENEDICTO.

PRÆSTITI. PATRONO. VNDIQVE. OPTIMO.

ANACORETARVM. MAX.

COENOBITARVM. MAX.

CVIVS. DONVM. EST. SI. QVID. EST.

QVOD. ESSE. VVLT. ASSECLA. IACOBVS.

CAVACIVS. PATAVINVS.

SVÆ. MENTIS. SVI. CALAMI.

VOTVM. PENSVM.

HOC. MVSÆVM. EREMO. RVDE.

AT. NON. RVDIS. ANIMI. MONVMENTVM.

PERPETVO. SACRAT. DICATQVE.



AD

AD DIVVM PATRIARCHAM
B E N E D I C T V M
Operis excubitorem.





Vod in hoc operis pene veſtibulo tù conſpiciare BENEDICTE Anachoretarũ maxime, Cœnobitarũ maxime, id verò ſumma cum ratione factum eſt. vt enim omittamus, hoc omne, quod in oculos deinceps incurret, elaboratum fuiſſe ab aſſecla quondam tuo, qui nomen dederat religioſiſſimo Cœnobio, quod certat etiam nunc cum multo clariſſima illa denominatione, quæ tuum olim Caſinum attingit; quis te non prodromum tot ſplendidorum ſiderum in hac ſtatione libenter conſpiciat, qui tractus terrarum occiduos, vitiorum tenebris circumfuſos, veluti exoriens Sol, nitidiſſima luce perfudiſti? Hoc tibi iure ſane optimo debetur, cuius nomen non inane quidpiam, nuda voce tenus ſignificauit; cuius vita iuge, & perpetuum ſerium, ſine aliqua pueritiæ, aut adoleſcentiæ labe, vnico tenore decucurrit. Tu enim id re quod nomine, fauente Deo, pręſtitiſti, vti eſſes benedictus vberiore cumulo gratiæ, & ſiſteres te numini vocanti, ſpreta auita nobilitate, poſthabitis honeſtiſſimorum parentum ſtudijs, pręlata Sublacenſi ſolitudine celeberrimę frequentiæ Romanę vrbis, & amore litterarum in amorem cœleſtis Patriæ commutato. Tù patrator rerum ſupra omnem fidem admirandarum, cum & intima cordis noſſes, & inanima tibi ad nutum vi diuina pręſto eſſent, & ea pręſtares, quæ non niſi Deo ſummopere coniuncti conſueuerunt, tecum tamen habitaſti; neque te tranſuerſum abripi paſſus es in imos, & pręferuidos

illos

illos vortices,qui perpetua vertigine circumagunt ſuperbas, & nimium ſibi fidentes animas. Te beatum BENEDICTE, te benedictũ BENEDICTE;cuius memoria in benedictione eſt;quẽ Dominus prępuenit in benedictionibus dulcedinis ; cui benedictionem omnium gentium elargitus eſt, vt ſcilicet fruereris benedictione non opimi ſoli,aut roſcidi cœli,ſed vbertate ſpiritus pinguis,& copia cœleſtium deliciarum abunde beareris . Adſis interim o Pater, & hoc veſtibulum lumine tuo colluſtra ; filioſque tuos,quos in Chriſto genuiſti,edoce,veſtigijs tuis inſiſtentes veras diuitias , & bonam mentem amare , vt potiantur aliquando ea quiete , & ſecuritate,quam hæc nobis obuia peritura bona,laruato,& fucato cultu vt vt polliceantur, minime tamen pręſtare certum eſt.

Laur. Pignorius.

DOM. IACOBI CAVACII

Manes

AD AMICOS SVPERSTITES.





Vganei saluete Lares, saluete Penates
Numina nascenti conscia facta mihi:
En alios Cœli tractus mea sidera noui
Teque Halicaonij Regia nympha Sali,
Et vos relliquiæ Troum, sedesque beatæ
Mœnia Dardaniæ signa superba fugæ;
Modacides Nymphæ, siluæque, vmbræque virentes
Et rura Hæmonijs inuidiosa iugis;
Vos oculis haurire meis iuuat vsque, domosque
Pæne Jouis Patriæ posthabuisse meæ:
Jam pridem æthereis quamuis assuescimus oris
Et toto Elysiæ perfruor ore plagæ,
Hic mihi nascenti doctæ arrisere Puellæ
Primaque Castalio lauimus ora vado.
Pythius, & tenerum placidus suscepit in vlnis
Et dedit Ausoniæ plectra, fidesque lyræ.
Jussit & æternas famæ volitare per oras,
Et fera luctificæ spernere tela necis:
Hinc pia Relligio sanctæ commercia vitæ,
Delicijs animum detinuere meum:


Vos,

Vos, Diui Heroes, testor comitesque Deorum
Cælica cum Musis Numina mista meis:
Si vos placaui sacro si percitus Oestro
Tentaui humano nomina tanta sono.
Este mihi faciles raptæque obliuia Musæ
Pellite. Non satis est occubuisse semel?
Quæ rabies fati, quæ me mala torquet Erinnys,
Sæuit, & in cineres impia Parca meos?
Quid iuuat æternas cum Musis ducere noctes
Aut calamo lassas detinuisse manus?
Omnia si nigro tantum debentur Auerno
Si mea cum fragili corpore fama perit?
Tu tamen Hadriacæ Lux ò clarissima gentis
MOLINE Aonij duxque paterque chori.
Vosque Antenoridæ iuncti patriaque fideque
Ingenio, & studijs pectora chara meis:
Tu primo Hermagora nostrę lux altera urbę
Altera Palladię cura seuera togę:
Et cui cum sancto contendunt omine mores,
Nec non siderea de Cruce nomen habes.
Et tu Romanę reparator magne Senectę
Pignori Aoniæ docte Sititor aquæ;
Ferte pedem, dulces animæ, vatemque caducum
Cogite Lauriferum ferre sub astra caput:
Elysios iuxta proceres tunc Laureus ibo
Dux inter patriæ nomina magna meæ.
A tineis blattisque meas secludite chartas
Et famæ faciles ire iubete vias.
Nec me cum Flacco spaciari sæpe pudebit,
Nec tecum Ausoniæ splendida Stella lyræ.
Sæpe mihi dicet Romano Liuius ore,
Esto, licet, patauæ fama secunda togæ;

Magna-

Magnanimi manes Poeti grauiore cotburno.
Expedient æui tempora dura sui,
Tollere quem potuit generose vxorius ensis,
Frangere Cæsariæ non potuere minæ.
Inde per Aeterios tractus melioraque regna
Instituam ad summi tecta tonantis iter:
Illic Heroes, nostræ pars magna Camænæ,
Ingens ætheriæ turba decusque domus,
In mea diuinis properabunt basia labris
Forsan in Ambrosios, accipientque sinus.
Est aliquid meruisse Deos, animosque beatos,
Et gratum æthereis nomen habere locis.
Protinus hic vestras cantabunt sidera laudes,
Et secum voluet nomina vestra polus:
Siue ego per superum sedes, seu dulcia Regna
Qua crepat Elysiis aurea silua iugis,
Inter Semideùm numeros, mentesque perennes
Traducam vitæ tempora longa meę.
Sępe ego ab Elysiis vobis præconia mittam
Et precor, vt grates perferat aura meas:
Sępe ego ab æthereis mittam præconia vobis
Et precor, vt grates astra benigna ferant.

Georgius Camerarius.



Vitiferi colles, FORTVNATIQVE recessus;
Exprimeret cum vos calamo CAVACCIVS aureo,
Fama est Medoacum gemmisque auroque superbum
Fluxisse, & preciosa implesse aspergine ripas.





Hospes Elysios mirari desine Campos.
Religio Elysios hic habet alma suos.

L.F.



AD AMICVM HOSPITEM IN MVSÆVM ILLVSTRIVM ANACORETARVM.



PRÆFATIO.



TINAM amice hoſpes Larij lacus, & proximæ regionis amœnitatem, Muſæo huic noſtro pręfari poſſem, qua iucunditas tuo genio, rebus noſtris ornamentum accederet. Fortaſſis ea, quæ in religioſa domo minus ſplendide oculis tuis exhibentur, loci felicitas iuuaret; & qui in minima re voluntatem exceptoris aliquam putas, etiam diceres illum ſupra vires aliquid appetiuiſſe. Potuit Paulus Iouius Epiſcopus Nucerinus Pliniani fundi heres veteres illius delitias ſcriptis, & ædificijs inſtaurare, at in ipſa prope Larij ripa genitus, paternis opibus, & principum fauore adiutus. Adiecit ædibus ornatiſſimis Muſæum illuſtrium virorum imaginibus conſpiciendum, quas eruditio, vel militaris gloria euexit; ſed affuit eidem Romæ occaſio ab aula Summorum Pontificum, quibus perquam familiaris etiam ceterorum principum beneuolentiam aſſecutus eſt, qua ipſorum, & auorum imagines adeptus facilè potuit Muſæum magnis acceſſionibus exornare. Demum auxit rerum ſuarum magnitudinem ingenio pereleganti, multiplici doctrina, atque eximia in ſcribendo felicitate, qua celeberrimos priſcæ ætatis ſcriptores æmulatus tãto ad eos propius acceſſit, quanto mediocres eorum citatiore greſſu anteuertit. Nobis autem, quibus neque opes, neque ingenium ad vota contigere, vna

laus erit simile quippiam cupiuisse, dum rebus e dignitate gerendis fortunæ liuor intercedit. Quod aspicis Cœnobiolum Fortunato Martyri dicatum, veras amplissimi Monasterij D. Iustinæ delitias, iam olim senectuti, & ocio literario seposui meo. Et quamuis nullis ad luxum, paucis ad ornatum ædificijs abundet, tamen necessaria vsui, & frugalitati Monachorum sic administrat, vt si commodum, nitorem, vel prospectum intueare, id iure non paucis & ditioribus, & frequentioribus preferas. Hoc in tumulo situm est, qui vt cernis leniter assurgens proximo imminet Medoaco fluuio ex alpibus Tridentinis defluenti, perinde atque turgentes illius iras, quibus frequenter Patauinum agrum populatur, subiectis accolis de specula præmonstrare velit. Fluminis porro quod alluit Cœnobioli nostri ripas nauigijs ineptum est ob ingentia saxa, quæ secum rapit, quando niuibus æstu solutis, vel pluuijs autumnalibus exundans, turbido cursu rupes, arbores, domosque euellit. Sed e saxis, quæ lintres arcent, altera est voluptas, dum fluctus his colliduntur edito murmure, qui vel ipsi vigiliæ somnos conciliet. Pisces alit, & si non plurimos, tamen haud vulgares. Qua ædes in occasum vergunt pulcherrima se se offert pars agri Vicetini ab ipso fluuio vsque ad colles extensa, deinde montibus obtecta, quos Cimbrorum reliquiæ occupant, adhuc suas clades, & Caij Marij victorias, corporum proceritate, ferocia, & antiquo idiomate contestantes. Qua Aquilonem spectant, Bassanum conspicitur Oppidum vrbibus conferendum, & pluribus earum longe amplius, si ciues, opes, & ædificia cogites, quibus splendide admodum nitescit. Finditur ab ipso Medoaco, sed ponte coniungitur sublicio quidem, sed qui marmoreis præstet vastitate, & elegantia, quam incolæ ad publicum decus maxima impensa tuentur. Hac breuior in Germaniam traiectus est, vnde mercium confluxus, & commeantium frequentia, quibus oppidi res eximie augentur. Hac in orientem Taruisinos, ea in meridiem Patauinos fines aspice quam pulchre de cultu, & fertilitate certent. Haud facile dignosces, vtros natura liberalius ditauerit, aut hominum industria ad eam frugem perduxerit. Regio tota villulis, & ædibus abundat, quas præ ceteris Venetę vrbis Patricij regali sumptu extructas etiam condigno rerum omnium apparatu instructas habent. Cœlo fruitur adeo salubri, vt a plerisque nimis tenue, purumque prædicetur. Hiemis rigorem montes temperant in septemtrionem protensi, quo fit, vt pręter ceteras hortorum delitias, etiam exoticæ arbores hic felicius degant, germinent, nec liguriæ, vel Benaci ripis facile concedant. Gens ita literarum, vt armorum studijs apta; sed his aliquanto addictior, quod ex animi elatione frequenter in cædes ruat, atque iniurias etiam leuiores acerrime vlciscatur. Ceterum erga diuinam rem egregia omnium pietas, ciuiles mores, mira erga hospites officia. Hic igitur lares statuimus nostræ senectæ, quandiu licebit ex indultu

ma-

maiorum, quibus libertatem, ac voluntatem noſtram ſubmiſimus. At hoſpes dum Muſæum audis, non tamen arbitreris velle nos ſpecioſo titulo Iouianum illud æmulari; nam in pari ſtudio longe diſpar ludit fortuna. Nos a pubertate intra clauſtra educati de Monachis ſcribentes ingenitam moribus, ac ſtilo humilitatem ſequimur, ideo etiam tabulas conſulto comparationi ſubducimus, quia neque artificis ingenio excellunt, neque imagines ex aſpectu reddunt. Quis enim pictor in deſerta feris metuenda penetrauit, vt seminudi ſenis vultum ſitu ſqualentem exciperet? Tu Iouium Epiſcopum, diuitem, eloquentem, & Regum clientelis fortunatum noſti. Nos hic deliteſcentes, rudes, & aulæ ineptos quis norit? Ingenium eadem cupit, paupertas negat. Attamen mihi ipſi defuerim, niſi vno exemplo Maximi Pontificis permotum dixero his maiora animo concepiſſe. Clemens VIII. vt ab negotijs, & aulæ frequentia interdum fatiſcentem animum leuaret, pingi in Vaticano iuſſerat celebriores totius Italiæ eremos, quæ cupiditatem tranquillioris vitæ, ac ſtudium ſanctæ auſteritatis augerent. Eminuere inter eas Sublacenſes rupes Benedicti noſtri ſpecu, & veſtigijs clariſſimæ. Vallis vmbroſa Ioannis Gualberti laboribus, & fœtu nobilis. Iuga Camaldulenſia inter niues Apennini ſanctitate, & arduis Romualdi inſtitutis calentia; atque Aluernæ montes Franciſci ſanguine, & Seraphicæ viſionis gloria illuſtres. Has tum primum Muſæo noſtro expreſſas minoribus tabulis intulimus, deinde libido ſenſim nos inceſſit, vt celebriorum etiam Eremitarum imagines in eodem conclaui dedicaremus. Ea propter pictori opus locatum eſt non infimo. Elogia prope quadraginta, quot ipſæ tabulæ, ipſe conſcripſeram, vt in Muſæo nihil vacuum eſſet, pręterquam deſideria amplioris loci, & fortunæ. His ſubſtiteram nihil vltra moliturus, cum e Germania res prodijt, quæ ſicut extructi nuper Muſæi Religioſi laudes mihi præripuit, ita ad plura elogia animum incitauit. Ioannes, & Raphael Sadelerij accurati Cælatores Eremitarum imagines a Martino Voſſio delineatas in tabellis aeneis ſculpſerant, & euulgauerant, quibus alteras Mulierum Eremitarum adiecerat Adrianus Collaertius æque auide ab Italia noſtra ſuſceptas: nam Voſſius his regiones appinxerat alicubi peramænas, alibi horridas; has ſiluis & rupibus, eas fluuijs, aut mari ornauerat, vt vario aſpectu mens impenſius oblectaretur. Arriſit inuentum commoditati, vt Patrum imagines paruo volumine circumferrem, quas domi maiores tabulæ vix continerent. Et quia meis iam olim elogia ſubieceram, non diſplicuit idem officium vniuerſis præſtare, & ab earum ſerie nec punctum deflectere. Impellebat animum obſcuritas hiſtoriarum, quam appoſita diſtica haud ſatis illuſtrarent: ſed præcipue anxium agebant imagines quorundam extra limen Catholicæ Eccleſiæ eiectorum, quas pictor inmixtas memorijs Sanctorum fœde honeſtauerat, cum

Summorum Pontificum, & Conciliorum censura hæresεos damnati digni habeantur, qui sola nominis turpitudine, & detestabili exemplo, posteritati innotescant. Habes igitur amice hospes Musæi initium, & consilia. Nostram ipse vtilitatem meditare, quando erga diuina obsequia tepidiores talia nobis ob oculos statuimus specula alacritatis, & asperitatis. Hos itineris duces sequi imperamur, hos aspicere, qui salebrosam arctamque viam ad perennem felicitatem labore, & continentia ceteris strauerunt. Horum meritis res nostra creuit, horum precibus stat, ac horum tutela defenditur. Excitant torpentes animos egregia hæc virtutum exempla, vt si quos pigeat imitari, etiam pudeat genus suum ad Sanctos Patres referre, cum ab eorum moribus in turpe ocium, & sacrarum rerum incuriam prolabuntur.





Tempore quo Decij feruebat ſæua tyrannis,
Chriſticolas duris preſſit acerba malis.

1

Territus his, fugiens Thebaide PAVLVS, eremum
Intrat, et à coruo pabula grata capit.

PAVLVS THEBÆVS.



VNC ab eremo primum religiose exculta Eremitæ cognomen adeptum merito principem habent quot quot aduersus oblectamenta vitæ huius pugnaturi agones quæsierunt nemora, & specus, vbi a conspectu liberi cum spiritalibus nequitijs Deo iudice decertarent. Thebæ Ægyptiæ Pauli natalibus claræ sunt, atque longe his clariores proximæ regiones tunc vel feris inhospitæ, mox illius exemplo frequentes Monachorum palestræ. Ea adolescenti ineundæ solitudinis occasio. Impij Cæsares proscripta Christi fide ipsius cultores imperijs, ac tormentis tẽtari iussos, vt ritu patrio libarent, abnuẽtes mortis supplicio damnauerant. Proinde cędes vbique, & exilia, cum delatores etiam priuatas ædes irrumpentes, vel spe maioris apud Imperatores gratiæ, vel studio auitæ superstitionis, vniuersa tumultu miscerent. Sæpe filij parentum, vir vxoris, & fratres inuicem accusatores admissi. neque indecorum ab domesticorum sanguine præmium, & religionis opinionem petere. Adijt hoc ipsum discrimen Paulus deferente sororio idolatra, qui cognati opibus inhiabat. Ea propter consilium fuit ad teporem vsque ebullientis tum maximè persecutionis in proxima eremo delitescere. Ibi dum abditiores recessus quærit, ad radices cuiusdam montis antrum reperit, vbi constans fama erat cusas furtim pecunias eo tempore, quo Antonius Cleopatram deperijt, illa opes, pudorem, ac postremo vitam profudit. Testes tunc etiam incudes per ea loca, & mallei quam plures. Antrum, quod nullo fornice obtectum cœli intemperies affecisset, vetus palma tuebatur, quæ ramis late protensis tectum, ac cibum egregie ministrabat. Eadem, postquam vestes tempus & vsus absumpsit, folia exhibuit, quibus aliæ texerentur. Iuxta fons pellucidus erumpebat, qui humo proxime absorptus videbatur ad vsum tantum leuandæ sitis diuinitus immitti. En Hospes, quæ mira Dei liberalitas seruulo extorri ocia seposuerat, & quæ Anacoreticæ vitæ crepundia, & futuræ probitatis indicia edebantur, cum adulterinæ pecuniæ latibulum contemptor diuitiarum iuuenis occuparet, atque regiæ prodigalitatis scelus ibidem cultu sanctioris cuiusque virtutis expiaretur. Itaque locus ad vota accedens fugæ necessitatem in moræ diuturnioris voluntatem vertit. Ceterum qua athleta noster impetus feruidæ ætatis represserit, qua asperrimum vitæ genus tolerauerit, atque dæmonum vires attriuerit, is tantum nouit, qui certaminum spectator ac pręmium fuit. Verum eodem specu latuisset cum Paulo Anaco-

retarum

Hier. 1. Epistolarum.

Euseb. Histor. 6. cap. 24.

Nicephor. Hist lib. 5. cap. 28.

retarum origo, nisi Antonium eiusdem sanctitatis, & propositi virum, cogitatio subijsset, an ipse omnium primus solitariam vitam amplexus esset. Iniecit Deus eam curam seni minime ambitioso, vt de viro excellentiori pie solicitus eundem extemplo inquireret, atque ex humanis ereptum tumularet. Sed vbi vastæ solitudinis illius sedes? Quod iter in inuio? Ausus tamen est præuia fide incertum iter capessere, triduum oberrans, donec diuina ope monstra, ac bestias duces itineris assecutus est. Tunc satyros, & Centauros credita olim poetarum figmenta Antonius allocutus scribitur, atque lupæ sitientis ductu fontem, & speluncam Pauli tenuisse. Exceptus a seniore longe antea præmonito virtutis suæ, & aduentus, agnouit prereptam sibi inchoatæ solitudinis gloriam, neque inuidit. Verum quæ oscula, quæ in complexu lacrimæ, dum alter Pauli desiderio, & labore itineris pene enectus, alter vltra octuagesimum annum expers consortij, sibi mutuo aspectu solatia exhiberent? Auxit huius lætitiam hospes optato nuntio, quod Tirannorum in Christianos odium, & Idolorum cultus concidisset, atque reddita Ecclesiæ pace diuinæ, & humanæ res apprime efflorescerent. Etiam res accidit, quæ inter senes humilitatis contentionem excitaret. Fractæ iam ætatis viro cælitus alimonia erogabatur alite ministro, qui panis semissem quotidie afferebat. Is ad hospitis aduentum liberalior integrum panem attulerat, quem dum ille iure ætatis, hic more hospitij diffractum vellet, integrum ad multum diem dimiserunt. Vbi tandem eo pane, & aqua proximi fontis naturæ indultum est, nox sacris precibus insomnis transigitur. Sed iam Pauli mors appetebat, quam Antonius non obscure ex verbis ipsius suspectans ægerrime ferebat, dictitans sibi adimi diem ab ipsa aurora, & sitibundo fontem citius eripi, quam ostendi; quoniam nec liceret cum eo diutius commorari, neque abeuntem sequi. Ille fræno charitatis compescere dolorem suæ mortis, qua breui perennem felicitatem adipisceretur, & desiderio insequendi se obijcere Dei voluntatem, qui asseclas vellet abundius proficere eo superstite. Ablegare deinde mœrentem ea obsequij specie, vt pallium olim dono acceptum ab Atanasio Alexandrino Episcopo perferret, quo morte insecuta corpus obuolutum sepeliret. Profectus Antonius e Cœnobio anxius pallium referebat, neque aberat a specu Pauli decimum milliarium, cum illum Angelorum ministerio inter choros Prophetarum, & Apostolorum sublimem ferri conspexit. Ea mortis suspicio senis cursum ad reliquum iter incitauit. Beati senis cadauer ita genibus ad orandum flexis, erecta ceruice, & protensis manibus stabat, vt viuere adhuc, & preces fundere videretur. Sed mors innotuit ex silentio. Et quamuis funebres pompas vetaret solitudo, eas tamen celeberrimas egit Antonius sacrorum hymnorum, & piarum lacrimarum apparatu. Tumulus etiam prodigijs illustris fuit. Nihil aderat quo humus fodi posset,

Sozom. lib. 1. cap. 8.

&

& ſenilem imbecillitatem durum opus reſpuebat, cum bini Leones ex eremo vlteriori accurrentes immani rugitu, perinde ac mortem Pauli condolerent, ad pedes Antonij procumbunt, eoſque lambunt officio non vulgari. Sentit illi auxiliares ad tumulum aduenisse. Hi terram vnguibus fodere aggreſſi ſcrobiculum aperiunt corpuſculo ſatis, mox erga Senem geſtientes ac ſi miſſionem poſtularent, eo annuente in deſertum e conſpectu relabuntur. Heres ipſe ab inteſtato defuncti Patris accepit mœroris ſolatium palmeam veſtem, Tunica ſibi Palmata cariorē, quam celeberrimis tantum diebus Paſchatis, & Pentecoſtes ad obitum vſque geſtauit. Hæc Monachorum initia, is Protoeremitæ exitus fuit, cuius gloriæ accedit toto æuo, quod centenarium exceſſit, fortiter executum eſſe, quod inconſulto cperat adoleſcens.

NOTÆ.



AVLO inter ſanctos ſtatuta dies eſt pridie Idus Ian. Anno Decij Imper. primo deſertum petiuiſſe, defunctum Conſtantij ſexto, colligit Baronius in Martyrologio, qui ætatis illius fuit 113.

Vitam S. Hieronymus ſcripſit, quam ab Amatha, & Macario Antonij diſcipulis accepiſſe teſtatur.

Res inter Paulum, & Antonium geſtæ præterierunt Athanaſium, qui vitam Antonij viuentis ſcribens eius extrema non attigit.

Pallium Athanaſij prophetice a Paulo quæſitum morituro corpori inuolucrum, fuiſſe ſimbolum Catholicæ cum Athanaſio communionis, idem Baronius pie meditatur in tertio Annal. vbi etiam plura affert aduerſus illos, qui de Centauro, & Satyro ambigentes hiſtoriam in dubium vertunt. Præter ea, quæ de his, & marinis Tritonibus ex Plinio, & Alexandro ibi habentur, inter ſcholia Mariani Victorij mentio eſt de Satyro Syllæ Dictatoris tempore inuento.

Poſſe humanam ſpeciem cum bruta ſibi maxime ſimili commiſceri, nos teſtem habemus hiſtoriam apud Luſitanos decantatam, & a ſcriptoribus, Barrio præſertim repetitam, damnatæ mulieris, quæ apud Inſulam deſertam relicta, & a Simio compreſſa eidem filios peperit. Eos tamen expertes fuiſſe rationis ſentiunt omnes, qui nouerunt ſubſtantialem hominis formam, nempe ipſam rationem, ab excellentiori agente præcipue deriuare, qua Simius carebat. Sed neque res integra haberi potuit ex ipſa filiorum natura, quia Simius, fœmina fugiente ob oculos, illius e naui aſpicientis filios diſcerpſit. Hinc apud nos Centauro, & Satyro, etiam fides. Sed mouent animum Satyri huius verba dicentis, ſe gregis ſui Legatione fungi, & Antonium interceſſorem cupe-

re apud communem Deum, quem pro salute mundi aduenisse cognouerant. Hæc non solum rationis vsum præseferre, sed etiam quippiam fidei lumen ostendere lector probe cognoscit, quæ tamen longe absunt ab ingenio illius monstri, quod post pauca verba idem Hieronymus petulcum animal appellat. Itaque si in re alicuius momenti, & auctoris summæ integritatis, & eruditionis, licet homini imperito iuditium intermiscere, cogitarem libentius naturalia quidem monstra extitisse, sed miraculose de admirabili Dei prouidentia erga mundi salutem elocuta. Video enim hic etiam Coruum panis dimidium quotidie afferre, & ad hospitis aduentum annonam duplicare. Vel etiam spectra dixerim diuino permissu oblata Antonio ad itineris indicium, & vitæ subsidium; nam Satyrus idem scribitur Seni palmarum fructus exhibuisse.

Ex Arch: Eccles. S. Iuliani. Corpus humo effossum iussu Emanuelis Imp. Byzantium translatũ, deinde anno 1240. Venetias cura ac pietate Iacobi Lanczio Veneti Senatoris exportatũ in D. Iuliani Aedibus pie adhuc seruatur, & colitur; corporis eiusdem parte aliqua Ludouico Hungariæ Regi S.C. concessa anno 1381.





Progenie clarus, virtute ANTONIVS *ardens,*
Pauperibus largus, sobrietatis amans,

Casta pijs miscet precibus ieiunia, et atri
Dęmonis insultus reprimit atq; dolos.

2

ANTONIVS ÆGYPTIVS.



EGYPTVS etiam apud veteres fœde ſuperſtitioſa, exundante poſtea Euangelio, velut Nilo altero fecundata, religioſis apprime viris exuberauit, quorum plures martyrio, plurimi vitæ aſperitate claruerunt. Hi non longe a ſuis villulis, vt ſacris rebus impenſius ſtuderent, ſibi primum cellulas extruere, deinde populorum frequentiam peroſi deſertas regiones petere, vnde nouercali quadam naturæ illiberalitate cuncta humanæ vitæ ſolatia exularent. Alterum id martyrij genus, ſed vltroneum. Nam quiſque ſibi ipſi bello indicto, antequam aduerſus Dæmones dimicaret, ne domeſticorum transfugijs vires hoſtium augerentur, carnem, quæ ad cognatum hoſtem facilius deſciſceret, locorum aſperitate, labore, ac inedia macerabat. Et ſi alibi vmquam fortiter pugnatum eſt, hic fortiſſime, vbi Dæmon totus prodijt, neque vt olim ſpectris, vel ſuadela, ſed in graſſatorum morem flammis, ac ferro ſæuus. Horum pugilum ducem Antonium tum veteres, tum recentiores efferunt, qui ab eo male cæſus, & ſemimortuus relatus, cruentis adhuc plagis auſus fuit certamen inſtaurare, atque ſæuiora ſuſtinere, donec Chriſtus militem ſuum benigno affatu conſolaretur. Inde dialogiſmus ille ceteris athletis vel ſtimulus, vel ſolatium. Vbi eras bone Ieſu, vbi eras? Hic aderam ſpectator agonis tui. Idem intra caſtra (Æthnicorum ſepulcra) hoſtes audacior perſecutus nos docuit vires Dæmonis non eas eſſe, quæ Chriſtianorum fidei, & innocentiæ diutius reluctentur. Sed nihil de eo minus fuerat ſperandum, qui pridem erogato pauperibus patrimonio, diues vno beatæ æternitatis deſiderio ſponte ceteris omnibus egere cœperat, atque manuum induſtria ſibi victum quærere. Eadem animi magnitudine, qua opes contempſerat, etiam voluptatum illecebras, & Veneris procacitatem eum ſpreuiſſe, etiam fornicarius Dæmon ab eo ſæpius repreſſus, ac profligatus egregie faſſus eſt. His itaque virtutum auſpicijs beatiorem vitam capeſſiturus ad inſtar ceterorũ cellulæ ſe ſe tradidit, vnde celebriores patres inuiſens, more apis, e ſingulorum floribus ſuccos hauriens virtutis, fauos aliquando perfectioris inſtituti conficeret. Huius vigilias, & orationis ſtudium, alterius in victu parcitatem, & morum lenitatem pie æmulatus iam omnium vnus ipſe virtutes expreſſerat, cum altiora appetens, apud ſepulcretum manſiunculam nactus, quod ibi atrocius hoſtes debaccharentur, diutius conſedit. Sed quas illic iniurias, ſtrepitus, atque verbera perpeſſus eſt? nonnihil ex his

Athanaſ. Epiſcopus.

Sozo. l. b. 1. cap. 17.

preſati

præfati sumus, cetera horret animus describere. Sat fuerit dixisse acerrimi hostis pertinaciam, odio inuictam, labore indefessam, Antonij humilitate, & orationibus fractam exoleuisse. Vlteriorem deinde eremum ingressus inter dirutæ arcis ruinas, quas nemo præter aspides, ac lemures coleret, obstructo cellulæ ostio, viginti prope annos latuit. Cibos quidam ex familiaribus afferebat, panes nempe, quibus in sextum mensem vesceretur. Angues extemplo aufugerant, Dæmones adhuc infesti erant, sed viribus toties afflictis longe debiliores. Sed cum virtus in prodigia erumperet, & fama sanctitatis ipsius increbresceret; alij religionis cupidine, alij spe beneficiorum exciti, inaccessum montem peruium fecere, qui etiam, non longe postea constructis passim mansiunculis, in stationem Monachorum diuertit. Horum ipse tunc primum Syriaca voce Abbas nuncupatus vagantes sub iugo obedientiæ coegit, exemplo, & præceptis instruxit, vt merito Cænobitarum auctor habeatur, quos omnium primus centuriauit. Prorsus e militari ratione. Cum enim antea in eremo veles extra ordines militasset, æquum videbatur, vt postea in Cœnobio statarius ordines duceret vbique victor, vbique magnus. Plura illic miracula edidit, & in Dæmonibus depellendis præcipua. Martinianus quidam Tribunus militum, cuius filiam hi infestam agebant, iussus ab Antonio fide agere, cum abiens fidensque Iesu Christi nomen inuocasset, puellam incolumen recepit. Arsit etiam Pater Martyrij cupiditate, qua secutus aliquando fideles Alexandriam pertractos, non semel se se Christi testem obtulit, etiam spe subeundæ necis ipsis persecutoribus iniuriosus. Sed diuina ratio discors ab eius voluntate Martyrium, & persecutionem sustulit. Igitur ad montem suum reuersus, cum adeuntium frequētia iniquius ageret, ad superiorem Thebaidem fugam iniuit. Dissensit tunc etiam Deus ab eius voluntate, & vocis suæ oraculo ab itinere retractum in vlteriorem eremum impulit, Sarracenos eo mercatores sequi iussum. Illic prope montem aquæ riuulo, & proximo palmeto vitæ aptum, quamuis alibi tota eremus squaleret, substitit diutius. Accessit leniendo solitudinis tædio cultus hortuli, & agelli, vnde messis, & obsonium. Sed quid imperuium charitati? Discipuli, quos diximus in priori Cœnobio ab eodem institutos, Patris desiderio incensi, quem illic audierant consedisse, eo irrumpunt maximo tamen vitæ periculo, quod regio sabulosa puteos, ac fontes vetaret, atque nonnullos ex his siti enecasset. Horum tandem precibus deuictus Cœnobium, & patriam repetijt; neque tamen huius recessus memoria adeo obliterata, vt eum sæpius non reuiseret. Ita Ægyptus Antonij magisterio diu schola virtutum, & sanctitatis fuit; nam præter exemplum continentiæ, quamuis ingenium nullis literarum studijs, sed tantum orationis, & meditationum frequentia excoluisset, tamen altiora quæque fidei mysteria penetrabat, eaque aduersus Gentes, & Hæ-

Cassianus collat. 18. cap. 5.

& Hæreticos docte, ac diserte tuebatur. Porro Ariani veteratores, vt miram eius sanctitatis, & doctrinæ opinionem in suam rem traherent, falso apud Alexandrinos vulgauerant fauere Ario Antonium, qua voce nihil grauius Catholicorum mentes concussit. At vbi religioni, & famæ consulturus ipse Alexandriam venit, & assertorem se gerens Catholicæ veritatis eorum imposturam detexit, non minimum visus est Ecclesiæ contulisse. Verum Ægyptus iam minus capax ipsius gloriæ, famam Byzantium vsque apud Constantinum, & Cæsares filios ablegauerat, qua permoti illum patris titulo, nec semel literis salutarunt. Neque tamen Augustorum ea de se opinio quicquam fuctæ humilitati detraxit, quin longe humilior effectus cum oblatam Cæsarum gratiam minus appeteret, minimos tamen Ecclesiæ ministros semper maximi fecit. Consecuta est etiam in deserto occultantem se gratia prodigiorum, ex quibus Frontonis viri Palestini insignis curatio fuit. Is pessimo genio correptus dentibus linguam, digitis sibi oculos lædere, ac lumen ipsum odisse. Cum ad virum Dei perrexisset, & salutem obnixe precatus esset, iussus ab eo in Ægyptum redire statim ac regionis illius fines attigit, Dæmone exemptus est. Auxit & Antonij decus virgo Tripolitana, cuius e naribus, atque oculis excrementa defluentia illico in vermiculos putrescebant. Eadem paralisi totum corpus dissoluta, oculis denique oblique contortis, miserum sibi ipsi supplicium viuebat. Tunc forte monachi quidam ad Cœnobium Antonij iter agebant, quos parẽtes secuti apud Senen precabantur pro salute filię legatione fungi. His, cum grauiter pro officio agerent, Senex dixit, scire se quale parentum fuisset consilium, quibus morbis puella affligeretur, & vbi substitisset Legationis euentum expectatura, sed iam pro incolumitate eius me exorasse vel ipsi cognoscetis, cum redeuntes restituta incolumitate lætam ipsam, ac parentes reperietis. Ita prorsus nonagenarius iam Pauli primi Eremitarum funus curauerat, & Ammonis Nitriotis animam Sanctorum turmis circumuallatam aspexerat cœlum ascendere, eam patriam suspirãs, sed nihil de inita olim vitæ ratione remittens. Adijcitur his virtutibus prophetiæ donum, quo cruentam Arianorum in Catholicos grassationem didicit, & discipulis caussam mœroris sciscitantibus, post imminentem tempestatem, quam deflebat, asseruit mox secuturam tranquillitatem. Etiam Balacio cuidam Arianorum patrono mortem pręscripsit, quæ vaticinium subsecuta est. Mortem vero suam, quam diu antea expectauerat, cum annum ageret quintum supra centesimum, & prudens prospexit, & religiosus pia alacritate suscepit. Oderat morem Ægyptiorum, qui funerum superbe studiosi cadauera mire exornata humi defodere indignarentur. Propterea salutatis extremum Cœnobitis ad interiorem eremum reuersus, post menses aliquot ætatem probe actam, probe clausit. Ibidem a discipulis suo iussu clam sepultus, videri

Sozom. lib. 1. cap. 13.

Hieron. in Paulo.

Theodor. hist. lib. 4. c. 19. et 20.

Cassianus coll. 15 capite 3. August. de diuersis Serm. 120.

poterat

poterat digno sui nominis sepulchro caruisse, nisi ipsum terrarum orbem famę monumentum, & magnum Athanasium habuisset epitaphium suæ virtutis.

NOTÆ:



ENSETVR in albo sanctorum sexto decimo Cal. Februarij. Corpus diuinitus reuelatum Iustiniano Imperante Alexandriam defertur, & in Ecclesia Præcursoris reconditur. Inde post multos annos sublatum apud Viennam Narbonensis Galliæ vrbem, suscipitur, quo frequens diu peregrinatio fuit, sicut in Patauina historia meminimus, cum de Francisco Carrariense iuniore egimus.

Memoria apud Italos celebris est ex supplicio Sacrilegorum, qui facultates Ecclesiæ ipsius diripientes diuino igne succensi sunt.

Vitam ab Athanasio Græce editam Euagrius Antiochenus Latinis communicauit, in qua etiam Hieronymum laborasse oportuit, qui in Epistola ad Pammachium prodit rationem interpretandi, & opus suum fatetur prefatiunculam vitæ prefixam.

Idem Antonium enumerat inter Ecclesiasticos scriptores, cuius recenset septem Epistolas Aegyptiace Apostolico sensu conscriptas, quas adhuc legimus in Bibliotheca Veterum Patrum.

Eiusdem preclara mentio est apud omnes fere Ecclesiasticos scriptores, Chrisostomum, Ruffinum, Augustinum, Theodoretum, Socratem, Sozomenum, & alios.





HILARION *fugiens fallacis gaudia mundi* E *folijs iuncisq; sibi tentoria texens*
Deserto abstrusus maluit esse loco. *Excoluit vitam sobrietate suam.*

3

HILARION PALESTINVS.



VIS Hilarionē audiens apud parentes Idololatras Christianæ militiæ rudimenta posuisse, ac deinde sub Antonio militasse, non illico dixerit æquaturum summos Imperatores? Quippe maximus adipiscendæ arti stimulus est magistri gloria; optimaque industriæ mater rerum initijs immixta difficultas. Alexandriæ literis traditus quamuis cum eruditione plurimam ingenij laudem assequeretur, tamen se se frequentius e schola in Ecclesiam proripiens, nulla vel coeuorum societate, vel spectaculorum cupiditate illiciebatur. Ineunte pubertate celebrem Antonij famam in desertum secutus, abiecta ex templo togula sacræ militiæ sagum induit, atque sub eo didicit tenera adhuc manu acerrimum quodque armorum genus tractare. Mirum quam breui illic militarem disciplinam fuerit assecutus. Nam bimestri spatio tanti ducis exemplo ausus est hostium impetus oratione excipere, vigilijs stratagemata eludere, ieiunijs aggredi, atque humilitatis ordine vbique retento se se tuto in castra charitatis recipere. Tironi initium fecit dignioris stipendij inimica solitudinis frequentia populorum, qui salutis, vel religionis caussa ad Antonium confluebant. Coactus enim patriam repetere, cum parentes iam fato functos reperisset, hereditarijs opibus inter egenos dispertitis nudus pene in proximum desertum abscessit, quod sterilitate ceteris mortalibus inuisum, latronibus mire frequentabatur. Hic adolescens ætatem virtute superans (quintum decimum annum agebat) sacco amictus, incertis sedibus, & fortuito cibo pererrabat, ibi somnum capiens, vbi nox ambulantem opprimeret. Sed in sterili regione qualis fortuitus cibus? Nihil prẹter carices, & herbas, quarum succo illum aliquando victitasse scriptores meminerunt. Vertente anno cum latronum pauorem exuisset, tuguriolum extruxit, cœpitque sarculo terram excolere, & more Monachorum Ægypti e iunco fiscellas texere. Obstupuit perditum genus adolescentis audaciam, qui diutius auderet desertum inhabitare, cuius alij ætate, ac viribus audaciores, etiam aspectum exhorrerent. Et quamuis nulla ipsius diuitiarum opinio, neque necis libido stimularet, tamen vt incusso metu illius constantiam experirentur, nocte tota frustra quæsitum mane obuium habuere. Truces aspectus, cruentæ manus, & armorum apparatus, nihil magis animum iuuenis terruerunt, quam si pacis nuncios exciperet. Inquirentibus an latronum incursus timeret, respon dit nudo latrones non obfuturos. Quid si mortem intentarent? eam se pa-

Hier. Epistolarum. tom. 1.

 ratum

ratum ſubire. Conſtantibus adeo reſponſis delectati, nocturnum errorem, & inferendi timoris voluntatem conſeſſi, æquiora deinde vitæ conſilia ſe inituros promiſerunt. Abacto horum metu, qui animum ſolicitauerāt, tugurio cellulam adiecit (an ſepulcrum?) ſe ipſo breuiorem, vbi defeſſa diurno labore membra ægere extenderet. Sed quis pro victoriarum nitore digne referat pugnas, quibus hoſtem aperta vi, & occultis vbique inſidijs prouocantem toties deuicit? Quot annos noctu diuque in armis fuit? Improbus hoſtis nihil prętermiſit, quo inuictam mentis aciem perrumperet. Oſtenta ad terrorem horribilia, ad mollitiem ſpectacula immundæ voluptatis exhibuit; nunc Leonis, nunc vulpis artibus innocentiæ ſtruxit inſidias. Attamen contra callidum, & prępotentem hoſtem inuictus ſtetit adoleſcens ijſdem armorum pręſidijs nixus, quibus ab Antonio Dæmonum vires infringi didicerat. Innumeris itaque de hoſte triumphis, & gloria ſubactæ ſuę ipſius cupiditatis clariſſimus, annos duos, & viginti degerat in ea ſolitudine, cum fama ipſius e Paleſtina in proximam Ægyptum effuſa multos eo pertraxit opem imploratum. Omnium prima mulier prolis expers, ac propterea marito exoſa, felici partu ſterilitatem exuit. Altera pręclari generis matrona liberos tres morti, quam vitæ propiores, cum Dei ſeruum ſuis lacrimis nocte appetente in vrbem deduxiſſet, incolumes recepit. Cæca item fœmina lumini reſtituta eſt. Obſeſſos Dæmonibus viros, ac beſtias ſupra naturæ impetus in ceteros truculentiores, catenarum, ac vinculorum nexus diſſoluere ſuetas, coram ſolui iuſſas manu demulſit, ac imperio Chriſti, eiectis obſeſſoribus, priſtinæ quieti reddidit. Ingens proinde virtutis admiratio plures eo Monachos traxit, alios etiam plurimos ſuaſit religioſe apud eum inſtitui. Itaque cellula tuguriolo primum adiuncta paulatim in Cœnobium creuit, & pr ędonum latebræ choros monachorum ſuſcepere, quibus Hilarion ita pręerat, vt prodeſſet. Sed iam ægrorum, & procerum affluxus cœperat torquere ipſius animum, quaſi eremo in vrbem conuerſa nequiret auſteritatis, & orationis ſtudia ſequi, atque veterem hoſtem pro deſiderijs vlciſci. Biennium igitur huiuſmodi curis obuolutus nunquam effugium aſſequi potuit obicem inferentibus Paleſtinis, quorum aliquando decem fere millia ad ſuſpicionem fugæ ipſius coacta etiam piam vim minitabantur. At Hilarion aperte experturus quod clam infeliciter cupiuiſſet, fama diſceſſus conſulto euulgata, dum eorum ſtudijs retinetur integræ hebdomadis ieiunium tolerauit, comminatus ſe potius inedia e vita deceſſurum, quam non receſſurum. Euicit plebis pertinaciam ſenis conſtantia, qui cum lacrimis dimiſſus recta in Aegyptum ad Antonij cellulam perrexit, qua luſtrata, proximæ regioni iam triennium ſiccitate laboranti imbres impetrauit. Inde Alexandriam profectus vix ſecuri iam imminenti ceruices ſubtraxit. Iulianus Cęſar a Chriſti fide ad Idolorum cultum reflectens,

Hilario-

Hilarionem a Gentilibus Gazæ Vrbis delatum, quod acrius in eorum superstitiones inueheretur, edicto proscripserat, immisso lictore qui in eum lege ageret. Aderant vbique lictori Gazenses, & cum senem digressum accepissent, Cœnobium ipsius funditus exciderant, Inde Alexandriam profecti illum ibi ad supplicium operiebantur. Senex tunc forte ad viculum vrbi proximum apud religiosos viros diuerterat; & quamuis auide exceptus esset, tamen pręcipitante in occasum die discipulos iussit propere asellum sternere extemplo abiturus. Indoluere hospites repentinum abscessum, quibus ille fore dixit, vt quam breuissime fugæ necessitatem rescirent. Die postera Gazenses, lictoresque, vt in Senem animaduerterent ædes irrumpunt, & diuina ope subtractum periculis falso magiæ nota deturpant. Res apud hospites vaticinium denudauit. At Hilarion deserta vlteriora euagatus, cum etiam in Oasi annum fere integrum asperrime degisset, quo non nisi crudeli exilio damnati deportabantur, in occidentem soluens naui Pachinum Siciliæ promontorium applicuit. Dum in proximo agello nominis sui, ac virtutis occultator tuto delitesceret, fanaticus quidam Romæ in templo principis Apostolorum euulgauit aduenisse in Siciliam Hilarionem, vt lateret, sed velle se virum prodere. Conscensa naui in Siciliam tendit, senis secessum adit, & ad pedes ipsius prostratus depulso Dæmone liber exurgit. Inde multiplex eo ægrorum, ac piorum accursus, & prodigia. Oderat ipse suam gloriam, vnde Adriatico sinu traiecto cupiens in Dalmatia apud Epidaurum latere, ibi longe clarior fuit. Boam ex aquis serpentem maximum regionem late deuastantem, accolarum precibus permotus, super struem lignorum conscendere imperauit, & subiecto igne incendit. Etiam æquor maximo terremotu nutans, qui necem Apostatæ Iuliani subsecutus est, cum in vrbis perniciem exundaret, obuius repressit. Hæc pręceteris priuatæ salutis dona admiranda eandem viro nominis celebritatē, ac fugæ desiderium peperere. Cyprum clam abit, sed pari successu. Agmen arreptitiorum Papho vrbe elapsum ad Hilarionis aduentum littus obsidet, naui descendentem ambit, ac penè sanitatem ab eo extorquet. Ipse pręmissa ad Deum oratione vniuersos fugato Dæmone liberos iubet, sed insignem de eo victoriam sibi in sæuiorem pugnam adsciscit: nam in proxima solitudine nactus montem vel Ibicibus imperuium, eo lubentius irrepsit. Inerat Idolorum vetus fanum, quod Dęmonum infestatione ab incolis olim desertum hactenus laruarum terrore gentem arcebat. Id seni pergratum obuenit, quia cominus poterat hostes lacessere, & senilibus pręlijs iucundam victoriarum memoriam sibi refricare, quas vigente ætate ab singulari certamine retulerat. Illic non alijs armis, neque artibus pugnatum est, quam oratione, & ieiunio, quæ illustriora visa sunt in viro octogenario etiam nimia vitæ austeritate confecto. Post annos quinque ex humanis sanctissime decedens iussit Antonij

Sozom. li. 5. cap 9.

Zosimus lib. 5.

tonij exemplo corpus suum clam defodi, quod gloria virtute parta, se etiam inuito, plus nimio eluxisset. Ita vitiorum domitor, vt etiam inanem gloriam euitaret post mortem, vulgari tumulo susceptus de sepulcri luxu visus est triumphasse.

NOTÆ.



ECOLITVR inter Sanctos duodecimo Calendas Nouemb.

Corpus ab Esichio eius discipulo longa decem mensium simulatione ad sopiendam Cypriorum de eo suspicionem clam ad Maiumæ vetus Cœnobium in Palestinam transfertur, quod olim sub Iuliano Apostata dirutum, postea restitutum fuisse oportuit. Locus tamen sepulcri in Cypro innumeris fulsit miraculis, ac si videretur Hilarion voluisse, eam gentem solatio prodigiorum consolari, postquam reliquiæ ablatæ essent. Itaque Palestini lætari sibi corpus Hilarionis adesse, Cyprij in sepulcro gratiam eius spiritus.

Etiam Crypta apud Ragusium hactenus Hilarionis memoria insignis habetur.

Vitam primus græce edidit Epiphanius Salaminæ Episcopus, quam Sophonius latinitate donauit. Sed longe ea ampliorem Hieronymus.

Apud Pachinum in Sicilia eundem ligna venum attulisse, non discipuli dorso imposuisse, scribit Sozomenus, & Nicephorus; vnde laborem, & humilitatem propius intuearis.

Octogenarium decessisse supputat Baronius in Martyr.





A primis ABRAHAM pietatis ſedulus annis Fortiter aduerſos fortunæ pertulit ictus,
Cultor, amans pura relligione Deum   Obſequio cunctis diues, inopsq́ſibi.

4

ABRAHAMVS SYRVS.



NEDIA macer, quem ex amictu ferino vix hominem dignoſcis, Abrahamus eſt, quem a nuptijs amor ſolitudinis abſtraxit, & ad totius virtutis faſtigium emergenti Antiſtitis ſui obedientia martyrij laudem adiecit. Paternarum opum largitione, iugi bello, & innumeris de antiquo hoſte victorijs, quemadmodum heroes ceteros coæquat, ita antecellit triumpho nobiliore; quod ſolus aduerſus populos ingenio, & praua ſuperſtitione feroces, immane prelium ſuſtentans, eos denique multa ſanguinis vi coegerit Chriſto arma ſubmittere. Eam prouinciam plures olim ſubierant tum Clerici, tum Monachi, etiam audacter ſpecioſum facinus aggreſſi, ſed non pertinaciter, vbi barbarus furor iniurijs, & plagis dæſeuijt. Proinde Epiſcopus vnum Abrahamum ſuſpiciens, illum e Cellula mœrentem trahit, & poteſtate, cui reluctari nefas eſt, Presbiterum impiæ plebis deſignat. Diſpar adeo militiæ genus tantum abeſt illum pro vitæ periculo exhorruiſſe, vt in Vicum extemplo progreſſus Deo Eccleſiam excitauerit, in quam, velut in arcem, ſibi receptus eſſet, & prędæ locus, quam de hoſte victor ageret. Vbi caſtra munijt, aduerſus Templũ, & Idola regionis impetum fecit, eaque diruit. At gens eam Deorum ſuorum ſtragem adeo acerbe tulit, vt apprehenſum Presbiterum, cæſumque pene diſcerperet, vetante diuina clementia, ne extremo ſerui ſui ſupplicio publicam iniuriam vltum iret. Lacerum, cruentumque arx recepit, vbi de ſalute gentis, quam ſua ſolicitior nocte tota preces, & lacrimas fudit. Mane cum in Eccleſia orans repertus eſſet, barbaros ſtupor defixit. Liuebant adhuc membra ab recenti cæde, cum auditores aliquot ad Chriſti fidem exhortans, iterum a furenti populo cæditur, iniecta pedibus reſti extra Vicum trahitur, ſaxis obruitur, & pro confecto relinquitur. Semiuiuo adhuc Eccleſia perfugium fuit, & maior efferæ gentis ira, & admiratio. Ita triennium alter mitis beneficio, alter iniuria ferox depugnauit. Augebat etiam Martyrij decus fames, ſitis, & omnium rerum egeſtas, quæ viro contingebant inter infenſos populos, & alieni ritus. Deuicit tandem tolerantia improbitatem, & gens paulatim capta innocentiæ, & ſanctitatis nitore, cœpit etiam diuinis colloquijs aures admouere. Hinc magis in dies cicuratam Abrahamo facile fuit ab auita impietate deducere, eaque eiurata, in Chriſti fidem transferre. Moram ibi aliquam traxit, vt recens baptiſmate initiatos reliqua fidei myſteria edoceret. Verum poſtquam fide, & propoſito firmos ſenſit,

ſeu odio erumpentis gloriæ,ſeu amore veteris inſtituti, clam aufugit. Gloria tamen fugientem perſecuta eſt, cum illic ex neophitis ſuis ſuffectum ſibi ab Epiſcopo Presbiterum audiuit;in tantum vbertatis,& maturitatis ager deuenerat, quem longa patientia cultum Martyris cruor rigauerat. Sed quem hactenus Eremitam,& Presbiterum ſpectauimus,etiam militari cultu,& luxu libidini proximo, generoſo equo inſidentem ſequamur in turpem ganeam, quo illum deflexit amor proſtitutæ mulieris, & coegit conuiuio laute vino, & carnibus inſtructo,ieiunium quadraginta annorum expugnare. Metamorphoſim aggredior. A cura paſtorali,ad cellulam reuerſus,puellam vnicam ex fratre defuncto, religioſæ inſtituere cœperat, atque eidem Priorem cellulam dimiſerat, altera ſibi extructa interius, vnde per feneſtram alloquium,& eruditio. Non aberat a religione ingenium,nam pſalmos, & preces edocta, ieiunijs quoque, ac vigilijs aſſueſcebat. Poſtquam puellares annos egreſſa eſt,hereditatem ſane amplam erogauit conniuente Patruo,vt omnis curæ expers cœleſti ſponſo impenſius ſtuderet. At viceſimo initę auſteritatis anno corruit miſera vitio cuiuſdam Monachi, qui ingenioſe nequam ementitus religionis, & doctrinæ deſiderium ad patruum ventitabat. Itaque infelix ſtupri fœditate in deſperationem acta, ſe ſe fuga patrui oculis ſubduxit, & quia nihil ad victum ſuppetebat, formam, qua mire excellebat, in caupona quæſtui euulgauit. Nocte,quæ fugam pręceſſit, Abrahamo per quietem ſe ſe obtulerat draco immanis, qui prę foribus viſus columbam deglutire, in caueam relabebatur. Senex ſomnium torſit ad odium antiqui Draconis in Eccleſiam Dei; ſed quam longe ab iactura familiari? Poſt biduum ſpeciem adhuc draconis aſpexit, ad fores reuerſam diſrumpi, e cuius ventre fœtido ipſe columbam manu incolumem educeret. Tunc, quia res iterum prę foribus agebatur,ſuſpicatus eſt ſibi potius malum portendi, quam Eccleſiæ. Irrepſit ſuſpicio ab Mariæ(id neptis nomen) ſilentio, cuius iam biduum nulla vox audiebatur, cum tamen aliàs pſalmos recitaret aſſidue. Hanc terque quaterque fruſtra vocatam,illico Draconis eſcam intellexit. Fuga index aderat peſſimi cuiuſque facinoris; & in virgine ſuſpectabatur facilius, quod inhoneſtius. Quæ afflictio, quis dolor? Neptem filia cariorem eo religionis, & pudicitiæ euectam, vt extra ſortem poſſet exiſtimari humanæ fragilitatis, ſua oſcitantia, ſuis ſub oculis in pręceps vitiorum corruiſſe? Hæccine domeſtici pudoris, & familiæ ſuæ nobilitas, vt alter decus maculet, alter contemnat? Poſtquam lacrimis, & queſtibus pro facti indignitate indulſit, cœlum ipſum ſuſpexit,& Deo rem commiſit, interim pro virili ſcrutaturus, an miſera alicubi conſtitiſſet. Ipſa biennium in turpi domicilio expoſita aduentantium libidini,etiam vitijs potuiſſet cum veterrimis Scortorum decertare, cum patruus reſciuit illam e fuga in lupanaris infamia conſediſſe. Num ingenuum ſenis

animum

animum poterat aliud telum altius transfigere, aut veneno ſæuiore illitum vitam ipſius ad mortem impellere? Sola virtus mortem arcuit, quam mœror inferebat. Attamen illum in aliquam ſpem erexit is, qui neptis ſtatum nunciauerat; nam iuſſus reuerti, locum, mores, familiam probe didicerat, & Abrahamo fidus immane opus aggredienti etiam militare ſagalum, arma, equum, & pecuniam pollicebatur. Itaque Senex abiecto cucullo miles emergit, pileoque ampliori Caluitium, & caneſcentes genas celans, ſexagenario maior adoleſcens, in cauponam diuertit, neque inficiatur cauſſam ſui aduentus cupitam diu formam illius fœminæ. Subriſit caupo diſcordem ab ætate cupidinem, ſed vt fert auarum genus, mulierem adducit ornatu meretricio laſciuientem. Quo incendio Abrahame tua facies exarſit? Quæ virtus lacrimas repreſſit? Tibi miſellæ nepti, quæ nubes ademit agnitionem paterni vultus? Quæ cera aures obſtruxit, ne blandientis vocem intelligeres, quam millies audieras pſalmos, & preces docentem? Profecto vltra humanum captum diuina res. Alloquitur Pater puellam, potat, colludit, illa fabellis miſcet oſcula, neque ſenex abnuit, immo ære dato Cænam opiparam iubet. Poſtquam epulis, ac vino indultum ſatis, nocte iam ineunte in cubiculum adſceditur. Neptem calceas ſeni detrahere, & in reliquum obſequium paratam, ipſe iuſſam oſtium obſerare, deinde conſedere, manu apprehendit, & detracto pileo caput aperit venerabile, Mariam appellat, precatur patruum agnoſcere, lacrimas profundit, filiæ nomen ingeminat, iuuenilem lapſum commiſeratur, infert ſpem veniæ, & ſequeſtrem ſe diuinæ clementiæ pollicetur. Inhorruit miſera ſaxo ſimillima pręter lacrimas vitæ, & doloris indicia. Nulla vox, pene neque ſenſus, cum in ſceleris fœditate defixa hoc ipſum ſub ora patris fœdiſſimum intueretur; hoc data oſcula, molles cachinni, hoc ipſum cubiculum, ac lectus quæſitus exprobrabant. Terram ſpectabat, an ſe viuentem dehiſceret, longe mitiorem arbitrans eam mortem, quam patrui aſpectum. In ſilentio aſſiduus imber lacrimarum, & ſuſpiria, mox ſingultus, donec compreſſa inter patrui fletus, & preces, ac ſi inter ſaxa riuulus immurmuraret, vox erupit, ſe, ſuaque in ipſius poteſtate eſſe, ac velle ſe tantum facinus acriori ſupplicio redimere. Noctis reliquum ille hortamentis, ipſa lacrimis, & orationibus abſumpſit. Mane deſpectis cum pręteritæ vitæ ignominia etiam opibus, quas illic meretricius quæſtus congeſſerat, ex lupanari, perinde atque e ventre teterrimo oſtenſi draconis, victor patruus captiuā neptem educeret, eandem in ſpecioſum triumphum trahens ad priorem cellulam reuexit, egregio exemplo paſtoris, qui grege per deſertum dimiſſo ouem procul aberrantem quæſiuit, & humeris ſublatam gregi reſtituit. Pręſtitit etiam neptis abunde, quod ſpoponderat; nam æmula illic alterius Mariæ, quæ Ieſu pedes lacrimis rigans proprias ſibi maculas lauit, Cruci inhærens, eamque iugi flectu

inundans, admissum scelus detersit, atque ad eam diuinæ gratię celsitudinem peruenit, vt nihil peccati apud illam reliquum esset, prętérquam ad incrementum virtutis peccati meminisse. Digna profecto fœmina, quæ inter clariores huius Musæi Viros, locū,& imaginē haberet, proprio elogio honestādam. Abrahamus, qui olim improbi Dæmonis victor, mox de profano Idolorum ritu triumphauerat, etiam altera redemptæ neptis gloria inclytus, decennium superstes, mortalibus vniuersis, quos in admirationem traxit suæ virtutis, vbique memorabilis, immortalibus illico inserendus, mortem obijt vita sua dignissimam, semper tamen facti huius memoria apud posteros rediuiuus.

NOTÆ.



BRAHAMO stata dies est in Romano Martyrologio 17. Cal. Aprilis. Ibidem proditur auctor ipsius vitæ S. Ephræm Syrus, quem in actis idem Abrahamus dilectissimum fratrem appellat. Neque male ex his coniicies affines eos extitisse, quum testetur Abrahamus puduisse, ac doluisse Ephræm infamiæ neptis, eumque pro scelere diluendo apud Deum comprecatorem misellæ eidem polliceatur.

Meminit eiusdem Baronius 4. Annalium ex occasione Ecclesiæ Lampsacenæ, in cuius paræcia idem Idolatras conuerterat. Minus tamen eidem assentimur opināti de hoc meminisse Ephræm in testamento, si quidem longe antea defuncti mortem in calce ipsius vitæ descripserat.

Itaque rectius dictum credam de Abrahamo altero Ephræm ipsius discipulo, de quo mentio est apud Sozomenum, & Nicephorum.

De alio Cyrense agit Theodoretus in Theopili, siue Patrum religiosa Historia. cap. 17.

Alius item Aegyptius memoratur a Palladio in Lausineis numero 105. cuius fortassis ea miracula extiterunt, quæ recensentur a Cassiano Collatione 15. cap. 4. & 5.





Acta prius fuerat cui vita monaſtica, MALCVS
A Saracenis captus, ouile regit.

Prefectuſq; gregi curat pecus; hinc preeunte
Numine, coenobij tecta adamata ſubit.

5

MALCHVS SYRVS.



QVÆ diræ insequuntur desertores? Sed neque recte dici potuit Malchus institutum deseruisse, quamuis matris, & patriæ desiderio magis specioso quam vtili, diris caput obiectauerit vix post amissam libertatem, & plura vitæ ipsius pericula, exsatiatis. Attamen non vacat ruinæ culpa, qui se obnoxium prebet. Olim coniux puellæ designatus anxios nuptiarum parentes fuga eluserat, & procul patria sub Abbatis imperio cucullatus prospera aliquot minora prelia aduersus Dæmones gesserat, non obscura maiorum virtutum spe. At ignarus insidiarum, quæ pietatis, & decoris specie struuntur, quam facile captus est? Suadet callidus hostis impium esse, matrem viduam, longæuamque aliquando non reuisere; posse in patria suo exemplo multos ciuium ad religionem allicere, & ex ære paterno Cœnobium excitare, vbi numero, & obsequio ampliore diuinis rebus deseruiatur. Immiscet melli venenum. Non indecorum esse, aut inutile, si ex hæreditate quippiam seponat in solatium senectutis. Hausit ille incautus; nec semel ab Abbate missionem postulauit. Qui vsu edoctus, senserat Dæmonem cuniculos agere, & aureo calice diuini, & materni cultus, exitium misero propinare. Itaque Malcho insidias aperire, & lacrimis obtestari, quod specie charitatis alienæ propriam salutem proderet. Ille coeptis insistere, donec Abbas irritus consilij missionem indulsit. Iter erat primo Beroeam, tum Edessam, inde in patriam, sed inter vtramque vrbem solitudo Sarracenorum incursionibus patens, quam propterea viatores non singuli, sed aliqua mora in confinijs coacti numerosiores capessebant. Malchus promiscuæ turbæ immixtus inceptum ea iter pergebat, cum Sarracenorum turma numero, & armis instructa ex insidijs imbellem turbam peregrinorum aggreditur, cędit, spoliatque. Seruus fit vnusquisque fortuiti raptoris, atque parentes a filijs dirempti, viri ab vxoribus, vt sors ferebat, diuersi abiguntur. Ipse cum vxore alterius captiui, quem alio prędones abduxerant, in prędam vni obuenit non infimæ sortis inter id genus. Imponuntur ambo Camelis insueta sessione trepidi, & ex alto coram semper pręcipitium suspectantes. Eremus petebatur, quæ longo itinere aberat; & cum humaniores cibi deessent, cogebantur captiui cruentis carnibus, & lacte vesci camelino. Inter deuia solitudinis tandem prędonis ædes affuere, vbi ille heri sui vxorem, & filios submisso genu de more gentis venerari coactus, pecori pręficitur, quod inter deserta, vel remotius, pasceret. Id pręter omnem

D. Hieron. Epist. 10. 1.

nem ſpem miſero ſolatium fuit; nam longius ab hero gregem ducens, Abbatis ſui vaticinium, & deſertum Monachorum conturbenium lacrimis, & ſolitudine vlciſcebatur. Etiam animo fixus, vnde pedem auerterat, Monachorum ritus æmulabatur, pſalmos, & preces recitans, quas apud eos didicerat; lætus captiuitate eluere facinus male appetitæ libertatis. Victus aſperitatem locus dabat, vigilias cura gregis requirebat, vt niſi feliciora contingerent, videretur his aduerſis ſaluti optime conſultum. His ſtudijs grex auctus in multam prolem Malchum hero ſuo ita conciliauerat, vt prȩmium aliquod eidem meditaretur, quod omnibus tormentis atrocius illum afflixit. Ac ſi cȩlibatus tædium, & gregis curam ſolatio coniugij lenire vellet, concaptiuam Malcho fœminam vxorem deſpondet, & nuptias recuſanti ſtricto mucrone imminet. Is prȩſentem fœminam arripit ſcutum potius, quam vxorem, & alieno periculo gladium euitat. Connubij pignus id acceptum barbari iram compeſcuit. Sed cum ambos in proximum ſpecum nox coegiſſet, timore necis exanimes, & nuptias æque abhorrentes, Malchus in arcto turpis ſalutis, vel honeſti exitij confinio, deflere cœpit, virginitatis decus irrecuperabile illic infami adulterio extinguendum. Et poſt nænias, ſupra vitæ deſiderium exoſus facti improbitatem, cultrum pectori admouebat moriturus; & ſua manu cecidiſſet, niſi Mulier manum cohibuiſſet, atque affirmaſſet, velle ſe coniugem palam credi, clam ſororem eſſe, & id fædus ſumma fide, & ſilentio obtecturam. Reuixit hic, eamque vxore multo cariorem habuit, ſollicitus tamen cum ea ne ſocordia pacis amitteret, quod in ipſo belli feruore ſeruauerat. Mutuus amor opinionem apud heros coniugij fecit, & gregis felicitas, in quem ambo curas coniunxerant, omnem fugæ ſuſpicionem ademit. Ita aliquot annos captiuitas tolerata. Sed Malchi animum ſemper coquebat prioris vitæ recordatio, qua, dum corpus naturæ neceſſitatibus deſeruiret, mens extra humanam ſortem Cœlo inuecta inter Angelos reſidebat. Ea propter ſtatuebat in mortis diſcrimen ſe ſe dare, vt ab Sarraceno liber ad Chriſti iugum rediret. Mulier virilis audaciæ, & conſilij particeps comitem ſe ſe itineris, & periculi pollicebatur. Fugæ videbatur opportuna gregis cura, quæ ambos in ſolitudinem itinere bidui, ac tridui, domo procul trahebat: Sed conſilijs oberat flumen proximum ab decimo milliario, quod nec ponte, nec lintre traijciebatur. Verum quid non audeat ſpes libertatis? Hircos, qui toto grege eminebant, binos mactant: ex pellibus vtres conficiunt, carnes in viaticum parant. Noctu fuga initur, & conſcenſis vtribus pede remige ad vlteriorem fluminis ripam appellitur, & nocturno ſæpius itinere, quod æſtu, ac latronibus loca infeſta eſſent, rectà in Syriam abitur. Nihil hactenus inceptis aduerſum. At herus eorum fugam edoctus, cum famulo veſtigia fugientium ſecutus, Camelorum beneficio, & viarum peritia adiutus, in patenti

campo

campo ex prealto Cameli dorso conspicuus aduentabat. Quæ fugitiuis ab hero atroci vitæ spes? Vna prorsus, si prętereuntis oculos latere possent. Forte ad dexteram Crypta erat, quæ intra telluris viscera profundius videbatur penetrare. Sed quæ loco fides, vbi serpentes, scorpij, atque id genus venenata animalia Cœlo flagrante delitescunt? facti tamen conscientia, & certa atrocis heri sæuitia, suasit incertum vitæ illic effugium. Itaque in Cryptam descendunt, velut salutem in sepulcro quæsituri. Descensus in binas Caueas ferebat; hi ad læuam flectunt maxima felicitate. Illic dum inter spem, & metum secum colluctantur, famulum probe cognitum audiunt immani voce fugitiuos ad necem inclamantem. Nullum e cauea responsum. Ille, vt latentes extraheret, in Criptam descendit pessimo malo; nam Leæna, quæ in altera cauea fætum nutriebat, arreptum discerpsit. Herus etiam, qui seruum intus arbitrabatur distineri a reluctantibus, exerto gladio ingressus sub aspectibus eorum ab eadem fera lacer interijt. Pulchra de hoste vindicta, nisi exemplum alienæ necis propriæ metum inijceret. Quid ibi? Persistentibus fame, fugientibus Leænæ vnguibus pereundum. Attamen mora potius, quam fuga, infortunium auertit: nam fera sentiens cubile palam esse, accepto Leunculo mane antro cessit. Illuxit spes aliqua salutis, quam tamen illi non extemplo adesse credebant; veriti Leænę reditum. Sed vbi post multum diem extra omnem ipsius suspectum trepidatio in audaciam conualuit, e sepulcro victores abscedunt. Hæc miseriarum meta extitit, mox ad obitum vsque felix omnium rerum decursus. Ponè antrum Cameli occisorum reperti opportune captiuos metu, & itinere confectos iuuerunt. His ambo ad Romanorum castra decimo die perueniunt, inde in Mesopotamiam proficiscuntur, vbi Camelorum precio deinceps vitæ tranquillioris necessitati consuluerunt. Abbas Malchi olim institutor diem obierat, neque orbatum tanto lumine Cœnobium votis respondebat, vnde progressus Maroniam, viculum ab Antiochia trigesimo milliario, illic se se Monachis adiungit, & Mulierem captiuitatis, & periculorum comitem sacris virginibus commendat, donec ætas fatiscens omnem cupiditatis fomitem restinxit, & charitas ambos sancto contubernio rursus coniunxit. Conuixerunt ad extremam vsque senectam insignes adeo abstinentia, & studio diuini cultus, vt Zachariæ, & Elizabeth simillimos incolæ prędicarent. Stabili hac inter populos fama excitus Hieronymus Dalmata adolescens, mox Eremita, & Sanctæ Ecclesiæ doctor eximius, Maroniam adijt, & virtutem opinione longe clariorem expertus, etiam historiam eorum ad posteros transmisit. Eorum mortem licet scriptores silentio inuoluerint, nullas tamen existimauerit vitæ imparem, cum beatæ perennitatis pignus sit ipsa mors nullius sceleris anxia, & sibi felicitatem ab excessu inchoans.

NOTÆ.



OCVM habet Malchus inter Sanctorum memorias, quæ in Romano Martyrologio leguntur 10. Calen. Nouembris. Neque plura de eo apud veteres prçter ea, quæ Sanctus Hieronymus coram accepta ad multorum profectum scripsit.

Habet ex his religiosus quisque exempla artium, quibus Dæmon Seruos Dei specie recti deceptos e portu tranquillitatis auertit in immane pelagus miseriarum, & periculorum.

Meminit eiusdem Theodoretus inter Anacoretas Antiochenas cap. 26. libri quarti Historiæ Ecclesiasticæ, & Baronius in Annal. tom. 4.





Duxit IOANNES rigidam ſine crimine vitam,
Affectus prauos ſobrietate domans.

Rupe caua ſedem ſibi legit: ibiq; petulcam
Carnem sub. mentis compulit ire iugum.

6

IOANNES ÆGYPTIVS.



I C Pręcurſori a ſacro fonte cognominis, & vitæ Eug.cap.1.
inſtituto proximus, inter confragoſas rupes appi- Pallad.nu.
ctus eſt, quas non hominum pedes, ſed & animi re- 43.
fugiunt. Sic aurum inter montium latebras, & inter cautes gemmæ abduntur nobiliores, vt nullibi ignauiæ, at labori pulcher vbiq; locus, ac pręmium ſit. Has iuuenis admodum conſcendit, ſenex ad obitum vſque retinuit, auſtero victu loci aſperitati conſentiens. Quot ſaxa aſpicis, tot habes pręliorum teſtimonia, quibus cum antiquo hoſte acerrimus ipſius debellator conflixit. Victoriarum pręmia noſce gratiam miraculorum, & rerum futurarum pręſagia, quibus ille extra Ægyptum apud Theodoſium pijſſimum Auguſtum, & principes viros, excelluit, nec ſemel ab his conſultus imminentium bellorum euentus prędixit. Ad eam vſque ætatem, quam proxima mors clauſit, Cœnobiolum, quo ſe concluſerat, nulli patuit; ſed aduenientium neceſſitati compaſſus permiſſit iuxta ædes conſtrui ampliores, quo tamen nec promiſcuum acceſſum voluit, neque ad libitum, ſed ſtatis diebus, ac viris tantum. Aderant etiam cellulæ diſcipulorum, qui eos exciperent. Ceterum ipſe e feneſtra pręſentes erudiens, ægros tactu, abſentes tranſmiſſo oleo incolumitate donabat. Nullam toto æuo mulierem eò irrepere paſſus eſt, quod earum aſpectu hoſtis molliores animos vexaret, eoſque infirmitatis commiſeratione illuc detorqueret, vbi charitas ſenſim in cupiditatem abduceretur. Ne tamen ſexum morbis obnoxium, & in religionem verti facilem, fructu precum ſuarum fraudaſſe videretur, pluribus earum abſens opem, & beneficia impendit. Coniux Senatoris cuiuſdam cæca oleo tranſmiſſo illuminata eſt. Tribuni militum alteri, quæ virum miſerat facultatem adeundi imploratum, domi affore pollicitus noctu per ſomnium aſtitit, via interdixit, & ægritudinem repreſſit. Item militem anxium de vxoris ſalute, quæ domi vtero laborabat, admonuit ea die fœtum enixam vitæ periculum adijſſe, atque euaſiſſe. Nihil domi ab redeunte prętcrea repertum eſt. Quis vaticinium negauerit? Verum priuatam rem poterant domeſtici parietes ſupprimere. Alterum inſignius fuit; Æthiopes, qui proximam Sienem incolunt, caſtra Romanorum apud Cyrenem in confinijs arcebant, ne intra prouincias more gentis populabundi irrumperent. Sed hi numero aucti vltro in Romanos inuehuntur, eoſque maxima clade attritos in caſtra compellunt. Prefectus ægre his ſe ſe continebat militum paucitate, ac trepidatione veritus in diſcrimen caſtra, & prouinciam da-

re.

re. Et quia cladium, & victoriarum auctorem Deum sciebat, ad Ioannem ipsius seruulum confugit, orationis opem flagitat, refertque. Consequitur Limenarchæ fidem belli exitus, & egregiam de hoste victoriam obtinet eo ipso die, quo illum Ioannes iusserat signa conferre. Sed etiam vox huius vaticinij paulo vltra Cyrenem. Alterum de Maximi excidio, qui imperium inuaserat, longe maius totum pene orbem terrarum circum egit. Nam Theodosius priusquam in Maximum ab oriente exercitum duceret, Ioannem percontatus de suscepta in Tirannum expeditione accepit maximum bellum minimo cruore, & insigni ipsius victoria quieturum. Eodem spiritu Eugenij item nefarie Romani imperij decus occupantis excidium, sed maiore vtriusq; exercitus cæde, eidem Theodosio prędixit. Porro vaticinium vbique decantatum, & apud omnes illius æui scriptores celebre, contigit etiam Palladij Ga latæ (vtinam non Origenistæ) pręsenti testimonio firmari. Tunc forte idem ad Ioannem venerat, & inter comites assidens Senem audiebat, qui de Religiosi viri pedia sermonem instituerat. Is salubrem admodum doctrinam prophetico nuncio ita clausit. Hodie deuicto Eugenio, & late pacato Romano Imperio, Theodosij Epimicia Alexandriam perlata recipiuntur: neque his diu superuiuet Cæsar, cui trãquilla mors imminet. Vitæ breuitas, & mortis genus vaticinio egregie responderunt. At sermonem coram exceptum Palladius scripsit, in quo piam eruditionem exemplis instructam, & scripturarum auctoritate firmam lector iure admiretur; pręsertim cum nesciat quomodo Senex intra cellulæ limen persistens ceterorum Eremitarum arcana re sciuerit, nisi edoctus spiritu prophetiæ, quo varios hactenus bellorum euentus, ac regionis fertilitatem, vel sterilitatem pręsciuerat. Post impertita tot ægris remedia, post exhibitum peregrinis obsequium, tres & quadraginta annos muro septus nihil in cibum sumpsit, quod igni admoueretur, sed nec aliquando, nisi post occiduum solem. Fortassis exemplum Diui Pręcursoris excitabat, cuius dapes didicerat in eremo fuisse locustas, & mel siluestre. Eiusdem etiam studiosus martyrium fuerat æmulaturus, si alter Herodes iugulum appetiuisset. Verum habeat suum decus Martyrij cupido, & sanguinis effusionem compenset macies tanto ieiuniorum, vigiliarum, & carceris squalore non minus laboriose acquisita, quam in annum ætatis suæ nonagesimum constanter tolerata. Ante obitum pręscius optatæ migrationis cum prohibuisset, ne quis discipulorum ad se accederet toto triduo, extremũ diem obijt, visus etiam post mortem poplite in orationem flexo voluisse cursum vitæ sistere eo silentij, & orationis studio, quo acceperat.

NOTÆ.



ABETVR in albo Sanctorum 6. Cal. Aprilis.

Elogium ex Euagrio, & Palladio constat.

Nos pręter ea, quæ de Ioanne apud Hier. Epistola ad Ctesiphontem, Augustinum, Ruffinum, Theodoretum, Prosperum, & alios leguntur, comperimus apud Cassianum Collatione 2. cap. 2. Diabolicam illusionem, qua Deo permittente coercitus est, ne deinceps oblitus moderationis corpus ieiunio conficeret.

Etiam in primo Dialogorũ Sulpitij Seueri, referente Posthumiano, habes duo insignia exempla obedientiæ, & patientiæ Ioannis: alterum in irrigatione aridi scipionis, alterum in impulsu saxi pręgrandis.

De eodem sæpius agit Baronius Annal. tom. 4.





Officio calami taciturnus voce, THEONAS
Jugiter erudijt commonuitq; suos.

Quos morbus vel debilitas afflixerat, ad se
Adductos valida restituebat ope.

7

THEONAS OXYRINCÆVS.



IBEAT post imaginem Theonæ hac oris maiestate, oculorum nitore, canicieque suspiciendam, etiam ingenium admirari, quo triumphalem virtutum viam ingressus, ea prius se ipsum captiuum traxit, mox de hoste acerrimo triumphum egit. Docebit profecto non alijs armis Dæmonis imperium euerti, quam quibus victor cupiditatum animus se ipsum vicerit; neque arduum esse eidem hostes subigere, qui seipsum subegerit. Sed quod de te ipso decus, quis de hoste triumphus o Theona? Non satis videbatur opes, lares, atque parentes deseruisse, vt vt pauperrimus Christo adhæreres, atque arcta specula conclusus vitam ab omni vitæ desiderio immunem degeres, Dæmoni territamento, mortalibus miraculo esses, nisi etiam stupente Cœlo triginta annorum silentio nomini tuo immortalitatem dares? Efferat vetustas iactabunda, sed non conferat tecum, Harpocrates, & Pythagoras suos; cum silentij illorum origo a studijs, vel fictæ religionis, vel humanę sapientię prodeat, vt ad scopum breuis gloriæ finiat. Tuum vero a diuinis obsequijs cæptum, eaque longe diuturnius, non nisi in excessum charitatis desinat, qua miserorum supplicio intercedis. Iuuat enarrare nobilem institutæ taciturnitatis lapsum, vt qui virtutem continentiæ triginta annorum admiratur, contemptum ipsius ex occasione longe clariorem commendet. Prouectus Theonas diuina ope ad apicem Christianæ perfectionis, etiam miraculorum gratiam acceperat, suetus ægros e tota regione confluentes tactu incolumes remittere. Aberat omnis gloriolæ, vel quæstus cupido. Sed quia discordant hominum ingenia, vt singuli ad vitia, vel virtutes deflectunt; incessit quosdam perditissimos suspicio quod ab ægris precio salus redimeretur, eoque Senem pecuniæ plurimum corrasisse, quod apud illum eadem cellula abderetur. Digna suis auctoribus opinio, nec dispar improbitati audacia, qua in facinus itum est; quamuis etiam impius quisque ab euentu cognouerit diuinitus permissum esse, vt Theonę pauperiem, adhuc meritum inter populos obscuri nominis, infamis latronum auaritia illuminaret. Furto silentium quærebatur, quod nullum extitisset superstite Theona. Itaque etiam mitissimi viri nece condita, illum nocte intempesta adoriuntur. Ipse exsomnis, vt Sanctorum Patrum mos est, nocturnis hymnis, & precibus Deo gratias concinere, orationi inuigilabat. Sed cum scelesti se se in conspectum dedissent, contorta in eos oratione beati senis ita obriguerunt, vt nemo muros attingere, non tela

 expedire,

expedire, ſed neque loco moueri poſſet. Diceres brachia catenis obſtringi, pedes inhærere veſtigijs, nec quicquam in corpore liberum pręter os, quod tamen concepti facinoris conſcientia obſtruebat. Ita noctem metu proximi exitij luctuoſam agentes diem longe atrociorem operiuntur. Aurora vindex nocturni ſceleris multos illuc mortalium contraxit, qui e propinquis villulis religionis, vel ſalutis cauſſa frequenter ad virum Dei accedere conſueuerant. Ab his probe agniti ſunt latrones, & aucta eſt ſuſpicio maximi cuiuſque facinoris tum ex armorum apparatu, tum ex prodigio interdictæ libertatis. Itaque hærentes miſeros vinciunt, & dum miraculi occaſionem requirunt, furtum, & mortem Theonæ meditatos audiunt. Omnium mens fuit vtrumque ſcelus incendij ſupplicio vindicare. Non ligna, non ignis aberat; & cura omnium de ſalute pij Patris, & ceterorum exemplo ſolicita. Facinorum extrema ea dies, ac vitæ erat, niſi Theonas illorum necem miſeratus in has voces ſilentium tricennarium corrupiſſet: Incolumes abire eos permittite, niſi vultis abſcedere a me gratiam curationum. Vox, ac ſi Cœlo delapſa eſſet, populum mouit ſtatim damnatos exſoluere, illos vero ſe ſe arctius illigare. Nam quiſque eorum mutatis repente vitæ conſilijs ad proxima Monaſteria perrexit, atque inita religione patratum ſcelus, ſtuduit obliterare. At ſenex vltus iniuriam beneficio, etiam taciturnitatem in poſterum adamauit, & cum diruto pariete cellulæ oſtium aperuiſſet, vnico oblectabatur ſolatio vaſtam Eremum noctu peruagari. Conſtans fama fuit, ſilueſtres feras tunc ad eum venire, & cellula egredientem comitari conſueuiſſe, quas idem rediens, e proximo puteo potaret. E veſtigijs Caprearum, bubalorum, ac ſimilium circa ea loca plurimis, famæ fides. Attamen qui ſilentium perinde horres, ac tirannum humanæ libertatis, quæ vnius linguæ miniſterio immenſos animi fluctus exoneret, & ſi eos ſilentio comprimat, ſpumam ipſa ac ſalſedinem in ſuam vertat perniciem, potes etiam temperamentum ipſius accipere, quo Theonas mœrorem, ac tædium leniuit. Ægyptijs literis probe excultus, Gręcas item ac latinas familiares habuit, quarum auxilio ſacros libros euoluens ſibi ſolatium, ceteris eruditionem parabat. Palladius inter plures teſtis eſt, peregrinos patria, ac lingua diſcordes, ſcriptis tabellis ab eo exceptos eſſe erudite. Itaque iugiter oranti, aut ſcribenti, numquam ocium adrepſit, quod mentem ab inſtituto auerteret; ſed neque vlla humanarum rerum ſolicitudo, quæ ſermonem prouocaret. Quod ſi æſtus diuini amoris, aut doctrinæ ſolatium, humanæ lubricitati non obſtitiſſent, profecto irritus labor fuerat naturam cohibere, quæ iacturam libertatis per ocium impenſius dolet, & in opere facilius obliuiſcitur, inſtar ferramentorum, quæ vſu ſplendeſcunt, ocio eruginem contrahunt.

NO-

NOTÆ.



E Theona ſcribit Euagrius cap. 6. & Palladius in Lauſiac. num. 50. meminit eiuſdem Sozomenus Hiſt. lib. 6. cap. 28. & Nicephorus Caliſt. lib. 11. cap. 33. Qui etiam aſſerit Ammonij Tabenneſiotæ diſcipulum extitiſſe.

De ſilentio, & eruditione omnes conſentiunt.

Alter etiã ab hoc creditur Theonas ille, qui apud Caſſianum collat. 21. cap. 8. ſcribitur rogata ſæpe fruſtra vxore, mox deſerta, ad Cœnobium confugiſſe. Idem promotor collationis 21. etiam auctor perhibetur collationis 22. & 23.





Soliuagus postquam primis errasset ab annis Linquere desertum diuina voce iubetur.
Austeræ vitæ cultor APOLLONIVS, 8 *Legisq; in populum spargere dogma sacræ.*

APOLLONIVS
HERMOPOLITES.



THLETARVM constantia retusæ Dæmonum vires eo deuenerant, vt etiam impuberes Sacræ militiæ nomen darent, auderentque singuli sub signo crucis vno fidei clipeo obtecti non solum irruentem aciem sustinere, sed etiam stantem inuadere. Quippe a crepundijs docti delitijs abstinere membra ad luctam durauerant, animumque aduersus vitia robustissimum afferebant. Sic Apollonius quintodecimo ætatis suæ anno potuit audacter in arena hostem lacessere, eaque victor late spaciari tot vbique erectis de hoste tropheis, quotam pugnandi copiam fecit bellum quadraginta annorum. Miraris hospes illum semicinctum oculos in cœlestem radium intendere? Diuinum oraculum est cœlo erumpens, quo idem iubetur ad proximam regionem descendere illic pluribus profuturus. Tunc rerum potiebatur Apostata Iulianus, qui fidem Christi ementitus ante susceptos fasces Romani Imperij, postea apertus hostis aduersus eam secures expedijt, atque piorum sanguine late aspersit. Huius opera Dæmon in deserto toties profligatus, rursus ad vrbes reducitur, restituto Idolorum cultu, & apertis inanium Deorum delubris, quibus ille acceptum imperinm referebat. Porro eius odium haud minus fidei contulit, quam Lydius lapis auro ferat, vel tirannorum persecutio viris immotæ mentis, & probitatis. Apollonius apud vicos frequentiores speluncam nactus, primum innocentia, & asperitate vitæ, deinde hortamentis cæpit fideles firmare, & Gentiles miraculorum beneficijs allicere. Monachi etiam plures ad eum confluxerunt, quibus illic Cœnobium ædificauit, & inter procellas sæuientis persecutionis Trierarchus optime præfuit. Et quamuis flagraret martyrij cupitate, atque vltro se se persecutoribus offerret, numquã tamen ausus est illum quisquam accusare; immo aliquando carcere clausum coactus est Centurio illæsum dimittere. Ea carceris occasio memoratur. Iulianus, vt Christi obsequium minueret, viros etiam religioni addictos iusserat militare, quamuis postea omnes Christi fideles a militia repulerit. Tunc Monachus in oppido militiam detrectans in carcere detinebatur, quem Apollonius adijt, vt constantiæ admoneret. Hæc in carceris vestibulo extra clathros agebantur, quæ Centurio in crimen maiestatis vertit. Iubet igitur obduci fores vestibulo, & ibi Apollonium, & socios custod iri.

Theodore. Hist. lib. 3. cap. 6.

ſtodiri. Nocte inſecuta cum Angelus Dei immani lumine aduenienscuſtodes, & oſtium deieciſſet, etiam Centurionis domus terremotu collapſa quoſdam e familia oppreſſit, quorum exemplo territus ille mane ad carcerem recurrit, & liberos omnes ad Monaſterium redire ſupplex efflagitauit. Eodem tractu temporum vicus profano ritu prę ceteris ſuperſtitioſus elato Idolo ambarualia agebat æſtu feruente, qui ſata exurebat. Vir Dei tranſiens, cum gentis cæcitatem miſeratus eſſet, fuſa ad Deum prece plebem cum ſimulacro in arena defixit. Immobilis vnuſquiſque obſtupebat, quomodo pes voluntati reluctaretur, & dum pedes conaretur veſtigijs educere in ipſo grauior hæreret. ſtantes ſol ſublimis, & ſubtus arena incenſa ſolis radijs Idololatras coxiſſet, niſi quis recordatus tranſiuiſſe illac Apollonium, ceteros admonuiſſet poſſe id prodigium virtute illius accidere. Placuit quoſdam ex auxiliaribus ad eum legatos mittere, vt ſi Chriſti ope, & ipſius precibus, miſeris abeundi libertas daretur, illico Deorum cultu ſe abdicarent, & liberatoris ſui fidem ſequerentur. Accepit Legatos, & conditiones libertatis Apollonius, Deumque obnixe deprecatus, ſtantibus ius abeundi fecit. Hi ſtatim tradito flammis ſimulacro Seni obſequi, Chriſti ab eo exigere diſciplinam, inde ſacro baptiſmate luſtrari, vt iam pauciſſimi auitos ritus retinerent. Inuaſit reliquos vicos opportune eiuſdem facti religio, quam & huiuſmodi miraculum longius prouexit. Ex his confines duos aliquando rixa ad arma traxerat. Et licet Senex ſequeſtrem ſe pacis polliceretur, tamē pugnæ diſcrimen auidius ab altero optabatur, qui ferox ductu, ac ſpe cuiuſdam latronis ſibi victoriam ſuadebat. Tumultus facile tollebatur ſublato capite. Huc Apollonius incubuit. Itaque latronem intuitus inquit: adeſdum, criminum tibi a Deo veniam ſpondeo, ſi arma paci dedas. Ille extemplo ſummiſſis armis ſupplex procumbit, neque pax vlterius differtur. Aſſequitur latro abeuntem ſenem, apud quem hoſpitio acceptus, noctu conſedit; & cum ſomnum cepiſſet, aſpexit claritatem diuinæ gloriæ, & arcana ipſius ineffabilia contemplatus, audiuit veteres ſibi culpas a Deo condonari, neque poſtea aliquando ab Cœnobio diſceſſit. Eadem viſio oblata Apollonio veniæ fidem ſtruxit. Alterum etiam vicum eiuſdem regionis ſimultas ad vltimum pene gladiorum adduxerat, vna Apollonij auctoritate pugnam prohibente dum is pacis fędera inter diſſidentes componeret. Iamque monitis arma ceſſiſſent, niſi obſtitiſſet Idololatra quidam militaris aſpectus, & truculentiæ, qui coram ſene comminabatur, nullam viuente ſe pacem aduerſarijs futuram. Cui ſenex: Omen, inquit, pacis accipio, vt te ſolo pereunte vniuerſi quieſcant. Sed neque te honor ſequetur ſepulcri. Vbi Pater aliò pedem vertit, acie concurſum eſt potius acri impetu, & armorum ſtrepitu, quam ſanguine, donec ſeditioſus ille transfixus occubuit, nec pręter eum alter quis. Perempto capite membra

in fæ-

in fœdus pacis coiuerunt. Sepultum noctu bestiæ exhumantes depastæ sunt, vt nihil ingentis corporis reliquum esset, prẹter exemplum laceratæ adeo temeritatis, quo pacis studiosi meminissent improbi vnius piaculo interdum cædem innoxiorum auerti. Pacis studium sequatur Apollonij liberalitas. Regio sterili annona afflictabatur. Turmæ populorum cum vxoribus, & liberis fame prope absumptis, ab eo cibos, & preces apud Deum exposcunt. Ipse postquam lubens distribuit quicquid in pẹnu erat, panis etiam tres sportas, quibus Monachi vix eo die alerentur, famelicis exhibet, nihil sibi ac familiæ retinens prẹter spem diuinæ liberalitatis, quæ etiam votis ipsius respondit longe abundantius, quam olim Pharaoni congestæ in septennium fruges. Quippe auctus erogatione panis, ac si altera ablata noua seges succresceret, familiæ necessitati, & regionis saluti in quartum vsque mensem prospexit. De oleo alias, & rursus alterum de frumento prodigium fuit. Itaque dum Iulianus desertor Achabo persimilis Christi fideles, vt hic olim Prophetas Domini, insectatur, meruit ea ætas alteros Helias, & Heliseos habere, qui diuinos, atque humanos cibos inter afflictos dispensarent. De Apollonio etiam scribitur, quod cum corpus stuppeo semicinctio, & linteo caput obuolutus in Eremo annos quadraginta egisset, numquam tamen alio tegumento vsus fuerit, neque eguerit. Sed claudat elogium candor ipsius animi, & indita diuinitus ingenio acies, qua corda hominum perlustrans adeo secreta eorum vitia, vel virtutes introspexit, vt numquam falso, vel infructuose de abditioribus cupiditatibus quemque admoneret. Octogenarius ita incuruam senectam, ac vegetem animum circumtulit, vt in obeundo religionis penso iuniores prẹiret, doceretque exemplo suæ parcitatis vitam protrahere, quam in alijs a luxu frequentes infirmitates solent onerosam facere, vel acerbe nimium detruncare.



NO-


NOTÆ.



ES ab Apollonio gestas refert Euagrius cap. 7. a quibus parum differunt quæ habentur apud Pallad. num. 52. licet ibi pro Apollonio Apollo dicatur, vt etiam appellatur a Sozomeno lib. 6. cap. 29. & Nicephoro lib. 11. cap. 34. Qui ambo miraculorum ipsius editam Historiam a Timotheo Alexandrino Episcopo testantur.

De persecutione Iuliani omnes auctores meminerunt; sed compulsos ab eo Monachos, vt militiæ nomen darent nullibi recordor legisse preterquã in his Apollonij gestis. Scio huc trahi posse, quod Sãcto Martino accidisse scribit Seuerus Sulpitius in eius vita, quando congiarium accipere nolens missionem ab Iuliano postulauit, atque in vincula coniectus est. Nam Christianos ab eo milites exauctoratos passim tradunt Ruffinus Histor. lib. primo, capite 32. & Theodoretus libro 3. capite 7.

Apollonius alter ex Mercatore Monachus in Scythi clarescit apud Palladium Lausiac. num. 14. Item Monachus alter, & Martyr, de quo Eugenius cap. 19.





MVTIVS excellens virtute, reliquit eremū
Sæpius, ad fratres corripuitq; gradum.

Languida debilium ſanauit corpora: vita
Orbatos ſacra contumulauit humo.

9

MVTIVS POLLINCTOR.



GNEAM hominis ingenio vim inesse, qua(bono se se, vel malo addixerit) vbique impigre agat, Mutius ostendit, pessimus primum inter latrones, deinde Eremitarum optimus, vt ante abdicationem impietatis, illum nec abunde vituperare, neque postea satis laudare possis. Lernæ huius omnium scelerum, seu arcis totius nequitiæ, expugnatio fuit admirabilis, quia dum moles criminum obijcit tormentis diuinæ gratiæ, leui somno abreptus capitur. Cellam sacræ cuiusdam virginis noctu aggressus, cum instrumenta nullibi improspere adhibita hic frustra admouisset, fessus tædio ac labore supra tectum obdormiuit. Quies in lapsum facilis, & furem oculis prętereuntium ex edito ostensura, diuino tamen nutu Mutio salutem, & securitatem peperit. Dormienti numen astitit cultu, ac splendore eximium, eundem flagitiorum increpans, suadensque deinceps Monachorum vitam inire, & immenso eorum! gregi, qui offerebatur ipsius oculis, pręsidere. Cum somnio sopor abscessit. Euigilantem virgo ædium domina deprehendit, & genus caussamque ascensus minax percontatur. Ipse metu, ac somno torpidus (vt id genus alibi summæ audax solet in re comperta animum abijcere) nihil in rem afferre, tantum rogare, vt sibi Ecclesiam indicaret. Virgo arbitrata, in socordi adeo perturbatione viri ferocis latere diuinum aliquod arcanum, ad Ecclesiam hominem ducit. Exhorruere Æditui ethnicum prędonem totius regionis excidium ab innocua virgine ad Ecclesiam trahi; & quamuis supplex Christianæ fidei sacramentum deposceret, tamen illius precibus aduersabantur, quod latrocinio infamis, & cruentis adhuc vestibus a multa hominum cæde auderet Christianæ fidei candidatum appetere. Quis de patratis dolor? quæ ab his in posterum temperantia? vel nunc obses vitæ æquioris? Non sacra canibus, nec repentinæ religionis tuta fides. Ille vitam improbe actam etiam lachrimis execrabatur, optimam deinceps instituturus, si in Christi plebe censeretur. Perseuerantia fidem postulatis fecit, & sacro baptismate ablutum Ecclesiæ adiunxit. Et quia adulta iam ætate dogmata fidei ægre retinebat, legere ἀναλφάβητος non poterat, a Presbyteris iubetur e psalmis tres versiculos ediscere, & ad eorum doctrinam pro virili actus suos dirigere. Triduo hausit, quæ ingenium ferre poterat; cetera à Deo oratione, & ieiunijs postulaturus, in Eremum superioris Thebaidis eatenus intentatam concessit. Ibi annos aliquot peregit orationi, & medita-

tioni intentus, & asperrimo victu diluens, quicquid latrocinio acer deliquerat. Libuit deinde Presbyteros reuisere, qui doctrinam versiculorum sanctis adeo moribus expressam gratulati, Mutium posthac contubernalem cupierunt. Sed ipse, exacta apud eos hebdomade, maluit amicam solitudinem repetere. Abeunti plures se comites dedere, alij in desertum subsecuti sunt, quos exemplo vitæ castigatioris, & abstinentiæ preceptis abunde erudijt. Ita nocturnæ visionis vaticinium expletum probe. Sed quot idem prodigijs refulsit? Fidem excederent, si hæc ab vsu rerum, non a Deo esset. Inter cetera charitatis officia haud postremum Mutio fuit ægris deseruire, & funera mortuorum curare. Sed hoc adeo studiose, vt illum adolescens admiratus defuncti corpus abluentem, ac vestientem, rogauerit, si ex humanis decederet, ita prorsus ab eo sepeliri. Cui Senex, etiam maiora adijciam, vt ipse fatearis promissis factum satis superque. Ille post annos aliquot vita functus, & ad tumulum compositus, Mutio interroganti, an satis? ac super respondit. Sed quis Thobiæ priuati viri æmulationem in exequijs ab Eremita susceptam, audeat conferre rebus bello gestis a Iosue clarissimo Iudæorum Imperatore? quis velit decus promiscuum, & æquum ius tribuere pollinctori, ac triumphatori? Hebetantur oculi armorum nitore, & humana opinio ducitur rerum magnificentia, sed penes Deum æqua est mentis, & factorum cuiusque ratio, vt neque benignius audierit preces Iosue in Amorrhæos depugnantis, quam Mutij orationem pergentis in obsequium moribundi fratris. Sol maximum Cœli huius ornamentum vtriusque imperio stetit, & viros dignitate dispares vna fides eodem prodigio æquauit. Mutius, cum ad ægrum peruenire non posset preterquam ineunte nocte, solem occiduum Iesu Christi nomine stare iussit, haud irrito imperio. Hoc admirante tota regione, & Mutio non inficiante prodigium, celebre habitum est monimentum Christianæ fidei, quæ similis grano sinapis diuina liberalitate (cui tota innititur) paruitatem compensante, etiam montes transferat. Ea Senex cursim inter admirantes populos, dum sole ad huc superstite ad infirmum properaret. Vicum ingrediente sol iter suum repetijt, vt quisque probe cognosceret, cui illuxisset. Attamen qui cursu seipsum, mora solem fatigauerat, fratrem iam defunctum reperit, quem percontatus, mallet rursus inter mortales, an apud Christum esse? rediuiuum respondentem audiuit, illud prorsus officere, hoc maxime delectare. Senex postquam noctem insomnem agens, fletu, & precibus defuncto parentauit, suetum mane sepulturæ officium impendit. Idem qui soli moras inieccrat vitam alterius produxit. Is vitæ extremum agens, mortis timore, plus nimio afflictabatur, quam Christianum virum deceret. Agnouit illum Senex horrere magis vitę extremam horam, quam mortem; anxium nempe iudicij, quod pro vita eatenus male acta subire oportebat. Igitur vi-

rum

rum dictis coercet, qui hactenus criminum expiationem distulerit, atque spem facit vitæ prolixioris, si emendatiorem spondeat. Quid non sponderet infelix? Miscuit promissis lacrimas, Angelos optauit testes, inferos vindices dixit, terræ hiatum sibi imprecatus est, si deinceps Dei clementia abuteretur. Mutius postquam se se in orationem dedit, dilatam a Deo in triennium vitam ægro pronuntiat, & manu apprehensum lectulo detrahit, atque secum incolumem in Eremum trahit. Redditus illico sanitati nihil boni prętcrijt, quo patrata diluens, sibi diuinam gratiam conciliaret. Triennio exacto, Mutius illum certa prĕmiorum spe iam mori cupidum, ad pristinam cellam perduxit, quo religiosi viri quamplures conuenerant memores prolati temporis, ac testes futuri condictæ migrationis. Dum nox colloquijs diuinarum rerum transigitur, frater se se lectulo componens lętissime somnum mortis accepit, cui Senex e more exequias adiecit. Hospes iam Solem, & Mortem, maximas humanarum rerum versiones, audisti pollinctori obsequentes; accipe etiam Nilum fluuiorum amplissimum, ignota ad fastum origine, alicubi mari conferendum, qui traijcienti ita vndas substrauit, vt Mutius toto genu extaret. Inediam integra hebdomade perpesso, inter loca inaccessa cibos allatos ab ignoto penitus viro, Copres illustris Presbyter meminit. Sed his vel naturæ, vel Cœlitum erga Mutium obsequijs, longe maius Dæmonis odium metire ex vna prę ceteris contumelia, qua veteratorem dispulit. Cum enim Pharaonum Thesauros olim clam defossos Seni prodere iactaret, hac reijcitur aspera antiqui vulneris refricatione, Pecuniæ ac tibi idem interitus, & perditio. Abi. Plura haud capit elogium, quæ non vasta Eremus continere, neque longa ætas valuit obliterare. Sepultus in superiori Thebaide, etiam post mortem, discipulos exemplo exercuit, & merito eruditionis de eorum victorijs participauit.



NOTÆ.



AEREO an hæc de Mutio Historia ex illis sit, quarum fides nutat apud Hieronymum.

Ipse de Euagrio Pontico sic habet in Epistola ad Ctesiph. Qui librum quoque scripsit quasi de Monachis, multosque in eo enumerat, qui numquam fuerunt: & quos fuisse scribit, Origenistas, & ab Episcopis damnatos non dubium est. Ammonium videlicet, Eusebium, Euthymium, & ipsum Euagrium, Or quoque, & Isidorum, & multos alios, quos enumerare tędium est.

Cum enim vitæ Patrum, quas Euagrius scripsit, eisdem fere verbis ab eius discipulo Palladio in Lausiacis repetantur, tamen nullā apud hunc de Mutio mentionem reperias.

Augetur etiam dubitatio, quod ibi Copres Presbyter inducitur auctor huius de Mutio Historiæ, cuius sermonem ferme ad verbum Palladius mutuatus habet, ita compactis verbis, & integro narrationis ordine, vt vbi apud Euagrium extat Mutij lacuna, apud Palladium nec rima sit, per quam Mutius vel malleis intrudi possit. Augetur suspicio, quod Sozomenus, & Nicephorus sueti memorias Monachorum illustrium ab ipso Euagrio acceptas scriptis suis inserere, nullibi de Mutio meminerunt.

Sed neque de eo quicquam reperies apud Theodoretum, Cassianum, vel alios veteres; forsan neque apud recentiores, pręter Simonem Maiolum Colloquio primo suorum Canicularium.

Alter Mutius insignis patientiæ commendatur a Posthumiano apud Sulpitium Seuerum, lib. primo Dialog.





Mundities **HELENVM** *stimulauit pectoris, om̃em*
Vt fugeret nęvum corporis atq; animi.

Sola loca incoluit gelido contermina fonti,
Deq; herbis carpsit parca alimenta sibi.

10

HELENVS ÆGYPTIVS.



PRVNAS illæsis vestibus puer intulisse scribitur, congruentibus ætate, ac probitate. Epota cum lacte materno pietas, & puerilibus coalita incrementis iam tunc portendebat auspicia maximæ illius, qua eminuit, virtutis. Poterit quisque huius exemplo animi æstus refrigerare, & naturæ incommoda leuius ferre, si puer dure assuescat, & per singulos sacræ militiæ gradus non prius animo ad fastigium dignitatis, quam corpore ad metam laborum, nempe Christianæ perfectionis apicem, intendat. Neque enim eadem est omnium felicitas, vt ab luxu, & delitijs repente in Eremum irrumpentes, tenerum corpus inedia, & vigilia; hostem oratione, & mentis constantia debellent, quibus hactenus paruerunt. Quot ab instituto excidunt, qui non desiderio vnius salutis erecti, sed auerso rerum euentu fracti, Eremos appetunt? Quot sub initijs militiæ flagrantes inter vigilias, & orationis studia tepescunt, resiliuntque. Horum, quia nec vires suas expendunt, neque alieno imperio suas voluntates submittere didicerunt, incerta admodum salus. Dixerim Deum erga eos æquum minus, aut clementem? Absit: immo fatebor illos iuuare impensius, & pręmijs amplioribus honestare, si consilia hostium impetu vincant, & cœleste regnum violentis expositum, violenti diripiant. Verum apprime periculosam pugnam dixero, quia nec frequentes aspicio triumphos. Docuit Salomon facile virgam inflecti, non ita arborem. Helenus postquam apud Cœnobitas pubertatem exegit, pruriente vitijs ætate in Eremum abijt carnis petulantiam freno vitæ asperioris cohibiturus. Adfuit etiam hostis, quibus consueuit armis, vt iuuentam lacesseret. Hic vero orationes, vigilias, atque ieiunium obijcere, & humilitate illius vbique superbiam elidere. Belli initio, cum ieiunus integram hebdomadam pręterijsset, natura ius suum acriter reposcente, athleta esurijt. Dæmon vt afflictum, ita inermem arbitratus, Helenum resumptis telis aggreditur, & in proximis petris mel aureum liquans, famelico ostendit, quo labantes vires confirmet. Auertit ipse a spectro oculos, & naturæ perinde ac hostis tyrannidem odisset, alteram ieiunio hebdomadem indicit. Nec Dæmon minus in defessum ruere, & naturam inclinantem propellere. Apud vicinas arbores poma dispergit rubentia, ac si vento deiecta. At secum Helenus. Quæ modo in adusta Eremo apes? quæ nunc inter steriles arenas poma? Artes noui. Viro forti cibus est, quicquid est a Deo: Apage ostentum, nam, & aliam mihi

hebdomadem ieiunam volo. Verum in sua victoria perijsset, nisi per quietem diuinitus fuisset admonitus cibos sumere, quos proxima tellus ferebat. Somno discusso cernit inter arenas fontem scatere aquarum nitore, & claritudine his conferendum, qui sub feliciori climate delitiæ Principum habentur. Margines amplos satis muscus vestiebat, quibus instar sepis assurgebat tenerrimum herbarum genus aspectu,& odore iucundum apprime. Accedebat virori decor ab circumfusis arenæ tumulis, ac sterilis vbique regionis aspectu. His famem, ac sitim depulit, confessus postea toto æuo nihil dulcius, nihil sapidius vnquam gustasse. Cryptam ibidem nactus aliquandiu latuit, gramine ac fonte ipso vsus in vitam magis, quam in voluptatem. Dehinc,vt sacræ Sinaxi cum ceteris Eremi cultoribus interesset,cœpit ad Cœnobia,quæ minus aberant,proficisci, & ea via,si quid tellus daret, vel pij fideles tribuerent, egenis, & infirmis idem afferre, & dispertiri. Inde miraculi huius occasio. Cum rerum pondus, quas ad fratres ferebat, moram festinanti inijceret,& hi longius abessent,Onagrorum grex presto fuit, ex quo vnus ad vocem Heleni adueniens,ipsum cum rebus suis dorso acceptum citissime ad Monachorum stationes transtulit. Eundem etiam Crocodilus extulit. Cum enim ad Dominicum aliquando conuenisset, Monachos reperit solatio destitui diuinorum Sacramentorum, quod Presbyter duplici arcebatur impedimento. Alterum riuus inundans inferebat, quem traijcere nullus absque vitæ periculo poterat. Alterum Crocodilus infestum animal, quod vtramque ripam obsidebat. Neutro Helenus periculo motus Patrum collegio pollicetur Presbyterum accersire. Cum ad fluuium peruenien s,cimbas vndique abactas, & turgentes vndas vidisset,Crocodilum mole, ac sæuitia ceteris metuendum vocat, & diuino imperio stare iussum conscendit, atque ad vlteriorem ripam impellit. Presbyter,qui non procul a fluuio Ædes habebat, pannosum, lacerumque Sinaxis Legatum excipiens, illi verbo ancipiti, aut inuidit,aut illusit. Helenus paupertatis titulo lætus desiderium Eremitarum explicat,& iter suadet. Ad fluuium anceps Presbyter qua transueheretur,quod nullas prope cimbas aspiceret,animo fluctuabat. Cui Helenus lintrem pollicitus Crocodilum vocat. Emersit ex aquis ad vocem bellua, cuius aspectum non ausus sustinere Presbyter fugi abijt. Helenus,quia perterrito animum inijcere, nec fugam sistere poterat, Crocodili dorso reuehitur. Sed quia ex terrore i psius dolebat tãtam ingeri molestiam sacris rebus,in siccum delatus, best iam extemplo mori iubet, quæ repente ad iussum Patris interijt. Res plurimos in colarum testes, & admiratores habuit. Ad Monachos regressus,excusata P resbyteri absẽtia,cum nihil magnifice de se locutus esset,deuictus eorum pre cibus triduo de religionis profectu,& rebus ad salutem necessarijs auditores erudijt,& pluribus eorum mire profuit, quorum occulta desideria, &

arcanas

arcanas cogitationes diuino lumine perfusus, agnouit. Prophetici in eo spiritus vim fratres senserunt, cum Monachorum sibi peregrinorum aduentum prędixit, quorum nulla erat in regione opinio. Inter eos extitit adolescens qui importune Senem rogaret, vrgeretque, vt sibi in Eremo apud illum liceret militare. Studuit ille iuuenilem animum deterrere, tum a Dæmonis improbitate, tum ab austeritate vitæ, quam veterani ægre sustinerent. Perstitit ille precibus, & fletu Senem orare, exorauitque. Alter ab cellula Heleni specus erat vitæ aptus, in quo audax tyrunculus ad pugnam instruitur. Hostis ad prędam festinus accurrit, interdiu mœrore, & prauis cogitationibus mentem ipsius ex crucians, noctu pręstigijs, ac terroribus somnum subtrahens defesso. Vt metu vacillantem sensit, auctus spectris, sæuiorque misello vim, ac mortem intentasset, nisi diuina obsuisset voluntas. Aufugit tandem iuuenis ad Agonetham suum, & grassatoris violentiam dictis efferens auxilium implorabat. Cui senex: hæccine ait constantia, de qua modo periclitari me volebas? hisce vmbris pueriliter delusus virilem animum despondes? Cur malo hosti signum non obtrudis optimæ crucis? Ostendam ipse, quantum vires hostium cedant veræ fidei, & innocentiæ. Et cum adolescentem agoni reddidisset, circa speluncam in arena digito circulum duxit, quem postea veriti Dæmones transilire, obsiderunt potius tyronem, quam oppugnarunt. Sed qui eorum rictus, quæ voces, quæ conuicia? sic ille paulatim aspectibus, ac terroribus assuescens, eosque minus curans, deinceps minus infestos habuit. Alterum prodigium hospitalitatis amor adiecit. Monachi quidam, peragrata late solitudine, vix septimo itineris die Helenum reperere. Error viarum sæpe repetitus mentem, & corpus afflixerat, neque eo minus ieiunium ab ingressu vsque in eam diem toleratum. Leniuit mœrorem aspectus exoptatus beati viri, qui comiter susceptos consolatus est, & in summa penuria summa spe a Deo cibos accepit, quibus hospites suos decem numero recrearet. Dum mensa apponitur, adolescens cuique ignotus fores pulsat, panis, & oliuarum sportam affert numero, & necessitati hospitum satis. His refecti, quia portitor euanuerat, Deo auctori omnium bonorum gratias persoluunt, qui ea liberalitate Hospitis merita declarasset, & extremis eorum rebus pręter merita affuisset.

NOTÆ.



HELENI nomen veteres varie scripsere.

Ita nuncupatus ab Euagrio reperitur capite 11. *Sed Palladius num.* 59. *& Sozomenus Hellenem, seu Hellem appellarunt, quos secutus est Nicephorus Cal. lib.* 11.*cap.*33.

Omnes tamen illius sanctitati astipulantur, cuius etiam testimonium afferunt miraculum, quo puer innocua veste attulit ardentes prunas.

Crocodili prodigiosum obsequium magis admiraberis ab Sæuitia ipsius, de qua Plinius, ac Scriptores ceteri passim.

De eodem Heleno ex Crocodili occasione meminit Maiolus Colloquio 8. *Canicul.*





In ſquallente ſpecu **IOHANNES** *vixit: eiq;*
Mos fuit, erecto corporis eſse ſtatu.

Aſsiduaſq; preces coluit, ieiuniaq; arcta.
Hancq; ſuos fratres iuſsit inire viam.

11

IOANNES RECTVS.



RVPIS huius loculamento contineri hominem saxeum crediderit, quisquis audierit, Ioannem in eo triennium stetisse hac ipsa corporis rectitudine, quam pictor ægre expressit. Potuit humanitas dignosci soporis, & cibi necessitate; sed aliquid supra humanam sortem habet status, qui viuam statuam exhibens, ostendit quantum Porphyritas, & Adamantas duricie antecellat robur inuictæ mentis. Verum sic stanti, ne dicam fixo, qualis somnus, aut vnde cibus in arduo, & inter deserta? Num ab ancillis, & famulis, qui coquant, ingerantque. Poterat videri naturæ conuicium facere, si non aliquo cibo vitam hic traheret, ac somno fulciret. Somnum magis rapuit, quam suscepit, & ad vitam nullos cibos, vnicum ad animæ salutem sumpsit. Concelebra hospes virtutem cœlestium Mysteriorum, & disce (quod etiam alijs contigit Sanctorum) Sacræ Eucharistiæ subsidio diuinitus vitam, & ieiunium triennio sustentata. Illam Presbyter Dominica die afferre consueuerat, quæ mentem ineffabili iucunditate perfundens, etiam corpori firmitatem afferebat. Attamen Deus, qui Ioanni donum dedit, vt duris adeo incœptis persisteret, voluit illum humanæ conditionis admonere, ne virtus collatæ fortitudinis in tumorem congenitæ homini superbiæ exurgeret. Itaque permisit Ioannis pedes disrumpi, & emarcescere; quod tamen incommodum eidem in gloriam, ac decus tolerantiæ vertit. Fremebat improbus Dæmon aduersus immotum adeo scopulum, qui fluctus, ventos, ac ipsas tentationum procellas contemneret, ausus propterea altera pietatis Larua illum inuadere. Aliquando ementitus Presbyteri personam stata hora Dominicæ diei aduenit, ac si in vasculo Sanctum Eucharistiæ mysterium gereret (pro scelus) Anacoretæ administrandum. Ipse antea edoctus, principem tenebrarum se se interdum in Angelum lucis effingere (illucente diuino lumine) Dæmonis vafriciem agnouit, & pręstigiatorem se se magnifice inferentem contumelijs pessime submouit, coegitque fateri, cur impium adeo facinus, extremum impietatis, ac petulantiæ, animo concipere non exhorruisset. Respondit Demon, voluisse nefaria dape illum dementare, quemadmodum eadem larua altero seni illuserat, quem vix multorum Patrum orationes pristinæ menti reddiderant. Quam dispar eiusdem temeritatis exitus? Alter misere affligatur, alter in hostem audacior mouet, quia illic forsan aliqua extitit amurca vanæ gloriæ, hic cristallo limpidior humilitas. Postquam hostis

cum

cum probro euanuit Presbyter aduenit, & emerito militi viuificum Christi corpus impertiuit. Vesanum Dæmonis ausum habeto pignus earum perturbationum, libidinum, & portentorum, quibus animum, & oculos stantis toto triennio vexauit. Cum Ioannis virtus iam satis probata videretur, Deus æquissimus meritorum cuiusque existimator iubet, Angelum eidem nunciare, impenso hactenus obsequio, & constantia delectatum munera destinasse, e quibus id vnum, quod pedes rimis, & marcore hiantes extemplo conualescerent, ipse sacrarum rerum doctrinam assequeretur, in aliorum cordibus arcana dispiceret, & minori fastidio deinceps famem toleraret. Iussit etiam ab ea rupe vlterius in Eremum excurrere, vt pluribus exemplo, & eruditione, quam acceperat, prodesset. Ita ad imperium diuini Oraculi recepta pedum incolumitate, ac si statio, vel defixio membris robur addidisset, Ioannes solitudinem peragrauit, in qua multos potuit, vel torpentes incitare, vel resilientes reducere. Latent hęc scriptorum incuria, quæ tamen ab illius virtute conijcimus. Plures annos in eadem Eremo vagus exegit, herbis victitans, & die Dominica rupes suas reuisens, vbi interdum resedit diutius, orationi opus coniungens, ne quando hostis ociosum posset adoriri. Texebat e folijs palmarum restes, quibus clitellæ iumentis impositæ obstringuntur, Vile prorsus opusculum, sed miraculo insigne. Claudus quidam altero pede in spem rectitudinis ab eo impetrandæ statuerat ad rupes proficisci. Et quia pedes nequibat, iumentum conscendit, quod cingulum Ioannis manu textum subligabat. Vix læsus pes cingulum attigit, cum ad alterius longitudinem extensus miraculum simul, & itineris vsum prębuit. Sed vir Dei Infirmorum incommodo compassus, deinceps instituit panes mittere, quibus Sacra prece benedixerat. His pręuia fide vsi quamplures leguntur conualuisse. Dixi Ioannem cordis arcana, & voluntates penetrasse, quod humanæ prudentiæ quisquam ascriberet, quæ aut eloquio, aut Physionomicis rationibus aliquando ad propensiones animi accedit. At solius Dei donum fuit, Monachos numquam facie perspectos, regione abiunctos, scire recta, an obliqua ad religionis profectum, vel ad inanem gloriam incederent. Nouerat e rupe, tamquam de specula, qua quisque impugnaretur cupiditate, & vbi res deposcere videbantur, literis Monachos, & eorum Archimandritas admonebat; reluctantibus prece, & consilio aderat; lapsis spem faciebat, contentus vnicum immensi laboris fructum capere, si canente se classicum, ceteri impium hostem profligarent.

NO-

NOTÆ.



E Ioanne agit Apelles apud Euagrium cap. 15. ex quo Palladius desumpsit num. 61.

Apud ceteros haud facile erit de eo memoriam reperire, quia ea tempestate plures Ioannes leguntur, quorum acta facile confundi oportuit.

De altero vrbis Lyci iam diximus.

Alter proprium locum habet apud Palladium num. 74. qui apud Diolcum floruit, & multa miraculorum vi, præsertim in curandis podagræ, & articulorum morbis valuit. De hoc Sozomenus lib.6.cap.29. & Niceph.lib.11.cap.35.





Duxit ad extremã PAPHNVTIVS vsq; senectũ
In solida cunctos relligione dies.

Cuius victa Dei precibus clementia, mõstrat
Quem superis dignum iudicet esse polis.

12

PAPHNVTIVS
HERACLEOTES.



ICET hic nomine, & Clientelis egregius inter Anacoretas videretur anchoram in vado demisisse, atque ætatem probe traductam asseclis exemplum statuisse, tamen arbitratus vel longe abesse a scopo perfectionis, vel anceps pro laboribus an sibi quicquam deberetur, Deum precatus est, vt benigne edoceret, cuinam ex ipsius famulis æquari posset. Ea cura viro graui poterat notam inurere leuitatis ob fumum aliquem inanis gloriæ, quem opinio alicuius meriti halare solet; seu ex inutili alienæ virtutis curiositate, nisi euentus declarasset, suo & aliorum beneficio diuinitus eam contigisse. Orantem vox cœlestis affatur, similem illum esse Chorauli, qui in proximo vico musicum opus ad victum exercebat. En spectator decrepitum athletam, abstinentia, & victorijs apud mortales clarum, sub oculis tamen æterni iudicis nihilo maiorem Choraule, quem animum, vel alienæ voluptatis ministrum, recte dixeris. Itaque si quicquam gloriolæ Senis animum demulserat, credas illico concidisse. At rectius credes, ita vtrique a Deo fuisse prospectum; nam alter eductus est e cœnoso gurgite, vbi facillime mersus esset, alter ad cursum vitæ perfectioris accensus. Senex in vicum progressus facile cum viro amicitiam iniuit, qua confisus est illum percontari, an quicquam in spem æternæ mercedis aliquando effecisset. Respondit nullius boni sibi conscium esse, qui tibijs aliorum libidines acuat, ac turpem inde stipem mendicet. At ille repetitis precibus hominem vrgens compulit duplex facinus confiteri, quod Eremi labores, & vitæ squalorem longe excellit. Dixit cum inter latrones aliquando grassaretur, virginem Deo sacram ab his captam, & stupro destinatam, ex eorum manibus eripuisse, & incorruptam noctu ipsius ædibus reddidisse. Alterum est, quod non Eremitarum pudicitiam, sed Regum excedat munificentiam. Fœminam item miræ pulchritudinis in deserto aberrantem, & ieiunam nactus, ad speluncam perduxit, & vbi ceteris insidias struebat, huic cibum, & solatium ministrauit. Illa itineris caussam interrogata, enarrauit, ab se non iter, sed errorem studiose quæsitum, quo infelicissimam seruitutem euaderet: nam vir suus ære alieno grauis in carcere detinebatur, tres liberi communi thoro editi in creditoris mancipia concesserant, & ipsa idem periculum fuerat subitura. Nobilis aspectus comes verecundia, & ora-

tioni aſtipulantes lacrimæ latronis animum ad commiſerationem traxerunt. Itaque madidis oculis ſpectata tragædia illuſtris fœminæ, ſummam alieni æris ſciſcitatur, eamque trecentis denarijs donat, quot coniugem ſuum obſtringi dixit. Etiam pulchrum audaciæ factum adiecit, Mulierem in vrbem comitari, & proprio periculo virum ac filios in libertatem vindicare. Ita nobilis fœmina tutata in deſerto pudicitiam, adepta in vrbe ſecuritatem, latronis vnius beneficio etiam perditam familiam in veterem ſplendorem aſſeruit. Admiratus Senex profunda Dei iudicia ſecum luctabatur, quid vmquam boni egiſſet hiſce latronis operibus conferendum. Mox Choraulem feliciſſimum appellans, qui nullum inde apud mortales prҽmium, ſed apud Deum ſibi ſepoſuiſſet æternam felicitatem, etiam cœleſtis oraculi illum admonuit, rogauitque, vt ſe ſe ex inſtabili rerum humanarum fluxu in tutam religionis ſtationem reciperet, atque vetus meritum periculo eximeret noui criminis, cum tanta apud Deum illius ratio eſſet, vt maximos Eremi labores anteiret. Ipſe, abiectis extemplo tibijs, Senem ad Eremum ſequitur, & non longe a Monaſterio cellula donatus, reliquum vitæ, quæ triennium non exceſſit, ſanctiſſime egit. Poſtquam morte abſumptus eſt abſente Paphnutio, eundem tamen voluit triumphi teſtem eſſe, quo ab Angelis in Cœlum ſublatus eſt. Itaque glorioſe euectum ad Cœlum Paphnutius Tibicinem vidit, & inuidit. Sed quia virtutis eſt æmulatione proficere, vt ferramentorum inuicem acui, & illuſtrari, cupiuit Senex iterum ſibi virum demonſtrari ſimilem. Reſponſum eſt, coæquari a Toparcha proximi oppidi. Perſtrinxit animum reſponſio, quia nulla huius ſanctitatis fama erat. Verum edoctus Choraulis exemplo vbique gentium, ac fortunæ, famulos Deum habere obſequentes, ad nobilem ipſum diuertit, a quo exceptus, & pedes ablutus, conuiua adſciſcitur. Inter cœnam nihil de ſe glorioſe effari, nihil de meritis promere, ſed more nobilium parce, & non niſi in rem loqui. Crederes hoſpitalitatem ferme ad retinendam opinionem faſtus, & opulentiæ, inſtitui. At vbi Senex eidem diuinum oraculum aperuit, humiliter protulit, quæ antea metu vanæ gloriæ abſconderat. Inquit: Poſtquam tres ex vxore liberos ſuſcepi thoro ipſius ex condicto annos triginta abſtinui. Peregrinos ſemper quæſiui, atque excepi. Pauperibus cenſui meo congruam eleemoſinam erogaui. Odio, aut gratiæ nullius vmquam ius dixi, nemini iniuriam intuli, aut quicquam abſtuli. Diſſidentes compoſui; nulli memini nocuiſſe, ſed profuiſſe. Volutabat Senex animo, quem Eremitarum Toparchæ æquipararet, qui dignitate, opibus, & clientelis ad peccandi licentiam inſtructus, innocenter tamen viueret, & in ſumma rerum affluentia ſumme inops. Igitur virum amplexatus admonet perſiſtere in cœptis, & pro caducæ huius alimoniæ erogatione immortalia de Cœlo prҽmia ſperare; Mira res, & veſtigijs hærens Apoſtolo-

rum.

rum. Toparcha qualis conuiuio consederat, talis e domo Senem in desertum sequitur non reuersurus. Inter Oppidum, & Cœnobium fluuius erat nullibi vadosus, quem accolæ Cimba traijciebant. Ea forte aberat. Senex fluuium ingressus nobilem virum consequi iubet. Hic fidens imperio succedit, & ambo genu tenus suspensi potius aquis, quam immersi, ad vlteriorem ripam peruenere. Hoc vadimonium acceptum est diuinæ promissionis, & arra propinquæ in Eremo tranquillitatis. Ibi Nobilis cellulam Choraulis accipiens ab hospite suo didicit, qua Dæmonis territamenta, & suggestiones contemneret, qua Deo obsequium exhiberet, ac tædium solitudinis temperaret. Nihil ex his prętermissum, donec adiecto decore sanctæ austeritatis ad antiqua eleemosinarum, & hospitalitatis ornamenta, post annos aliquot fatis concessit, & ab eodem Paphnutio visus est, cœlestis Legionis ductu, Cœlum cõscendere. Alter hic Seni stimulus accessit, cum binos æmulos vidit ab se e Mundi naufragio retractos cœleste regnum pręripuisse. Cur Deus, inquit, non etiam hos sequor, si meritis assequor? Sordet iam vita, cui denuo triumphus gloriosæ mortis ad inuidiam ostenditur. Vel si iubes molestam adhuc militiam diutius sequi, da, vt alienæ rursus virtutis æmulatione proficiam. Oraculo iubetur obuiam ire cuidam mercatori sibi simillimo. Is e Superiori Ægypto cum naues in proximo littore reliquisset, decem pueris singulos Leguminum modios imposuerat, quæ Patribus Eremi dono daret. Senex obuium complexus, etiam animi virtutem perspexit longe clariorem, quam Mercatoris amictus, vel leguminum dona possent ostendere. Et illata sensim de diuinis rebus mentione, eidem aperuit quantum hactenus apud Deum promeruisset, & quæ ampliora consequeretur, si posthabitis Mercimonijs se se quæstui Euãgelicæ Margaritæ dederet, quam diuenditis bonis vitæ huius emptam cum regno Cœlesti commutaret. Paruit Mercator monitis, & pueris naues, ac merces iussis distrahere, ac precium Christi pauperibus dare, in cellulam olim Choraulis, & Toparchæ nobilem palestram succedit. Primum aduersus veteratoris fraudes didicit cuiusque operis precium, & quæ Christianæ religionis gemmæ, & quibus eas Dæmon vitijs adulteraret, quæ virtutum aromata essent, quæ illi putamina his subijceret. Itaque breui mens ab humanis rebus ad diuinas traducta, veras sibi in Cœlo diuitias parauit, quæ perennem illic felicitatem mercarentur. Hanc idem post aliquot annos ex humanis ærumnis decedens adipiscitur, neque Paphnutius diu superuixit pręmonitus cœlesti nuntio imminentis obitus, ac horæ, qua eandem felicitatis sedem acciperet. Felix profecto, qui ex honesta alienæ frugis inuidia agellum suum coluit inpensius, atque ceterorum virtutis stimulo, semetipsum ad perfectionis metam incitauit.

NO-

NOTÆ.



IN Paphnutio concordant Euagrius cap. 16. & Palladius nu. 62. Eundem inter eximios Anacoretas Aegypti recenset Nicephorus lib. 9. cap. 14.

Sed, cum plures in Aegypto eiusdem nominis Patres legantur, haud liberum est eorum acta singulis decernere.

Agit Palladius de altero cognomento Cephala num. 91.

Alius est, qui in Eremo vastissima cōuenit Sanctum Onuphrium, & illius acta conscripsit.

Apud Cassianum de alio legas, qui ab intenso amore solitudinis Bubalus appellatus est, tunc in Scythi Sacerdotio fungens, atque nonagerio maior aquam suis vsibus ab quinto inde milliario baiulare consuetus.

Ipsius sanctimoniæ, & doctrinæ testem proferre licet eundem Cassianum, qui Paphnutium auctorem facit secundæ collationis.

De alio item Monacho, & egregio martire, cuius oculos Gentiles in persecutione pro Christo effoderunt, meminit Sanctus Athanasius in vita Antonij.





Tanta fuit DIDYMO *ſanctæ cōſtantia vitæ,*
Corripere vt poſſent nulla venena virum.

Non draco, nō aſpis, nō vipera ſæua nocebat.
Illæſus cunctis perſtitit vſq; malis.

13

DIDYMVS CELLIENSIS.



VI inoffensus ceraſtes, & aſpides proculcat Didymus eſt. Hoſpes ad nomen vultum contrahis? ſcias id commune fuiſſe etiam alteri, quem iure execraris. Nouimus illum inter Scriptores,& Anacoretas olim inſignem, poſtremo in errores Origenis prolapſum,doctrinæ,& aſperi victus claritatem fœda hæreſeos caligine obſcuraſſe. Quarto ætatis ſuæ anno luminibus captus, cum in diuinis obſequijs adoleuiſſet,etiam creſcente ætate ſcripturarum doctrinam,quam humana induſtria, & oculorum auxilio aſſequi non poterat, diuino munere accepit. Hac,quantum licuit,admirabilem Spiritus ſancti ſplendorem contemplatus, de eo libellum dictauit acute eruditum. Etiam oracula Prophetarum orſus interpretari, rerum obſcuritatem mentis acie illuſtrauit. Arium omnium hæreticorum peſſimum inſigni volumine confutauit, adeo vt Hieronymus illud Eccleſiæ columen,cum Alexandriam cæcum auditurus perexiſſet, eundem veterrimo Prophetarum nomine videntem appellarit. Sed quas Eccleſiæ Sanctæ pro inſigni adeo munere gratias rependit? Origenis amore inſaniens, eiuſdem errores mordicus defendit, malens a Catholica veritate,quam ab pertinacia deflectere; & qui Arium exploſit, Pelagium admiſit. Emotæ mentis ſignum dedit,quando libros Περὶ ἀρχῶν, Origenis,nempe venenatū poculum,melle ſcholiorum circa extrema ora liniuit,vt incautis lictoribus propinaret, viſus propterea cupiuiſſe carbone Æthiopem dealbare. Itaque ab Eccleſia,cum Origene damnatus,procul faceſſat a Muſæo. At Didymus,quem probe oculatum aſpicis,hilari fronte ſincerum animi candorem præſeferre, non vt ille apud Alexandriam, ſed in aſperrima Eremo Celliæ diu verſatus, inter celebriores pugiles cenſetur. Diſtat locus ab vrbe Alexandrina milliaria quinquaginta, vltra Nitriæ ſolitudinem decimo lapide, vbi Eremus deſinit, naturæ inclementia, vel odio omnibus vitæ incommodis affectus. Eò nonniſi veteranis,& ſpectatæ fortitudinis militibus acceſſus permittitur,vt iure dici poſſit,more militiæ extrema caſtrorum Triarijs attributa. Nomen Cellulæ indiderunt,quæ Eremum totam in orbem ambiunt,ſed ſeiunctæ adeo diſtanteſque,vt quiſque incolarum ab alterius aſpectu, ac ſtrepitu immunis ſibi libere viuat, & quies ex ſilentio communis ſit. Medium Eccleſia occupat, in quam Sabbato, & Dominica die vniuerſi conueniunt, vt Sacræ ſinaxi interſint,& mutuo aſpectu Chriſtianam foueant beneuolentiam. Si quis abſit,ægrotare conijcitur,eique ſinguli ad

Hieronym.

Hieronym.

De Cellia Euag. c. 22

li ad æmulationem inseruiunt. Hic igitur Didymus integritate, & abstinentia enituit, etiam hoc prodigio insignis. Regio sole perusta, ac si in contrarium enitatur, venenata fert animalia eo atrociora, quo æstu acriori coquuntur. Ibi aspides, scorpios, cerastes cornutos angues, atque id genus pessima telluris excrementa, passim reperies. Ea Senex, si quando molesta essent, illęso pede legitur perinde compressisse, ac nos vilissimos terræ vermiculos. Sed quid mireris diruptos ab eo angues, qui Draconem humano generi infestũ, toties singulari conflictu pessumdederat? Num venena officiunt innocentiæ, quam nulla vis elementorum, nulla hominis perfidia valuit vmquam expugnare? Eam Dæmon, & infestus odit, & repressus admiratur.

NOTÆ.



E Didymo Celliense pauca admodum Euagrius cap. 24. Silet omnino Palladius.

Meminerunt illius Sozomenus lib. 6. cap. 30. Et Socrates lib. 4. capite 18.

De Eremo Celliæ plurima inuenies apud Sozomenum, & Nicephorum.

De Didymo Cæco Alexandrino nobilis est mentio apud plures veterum, antequam Origeni improbe consentiret.

Eundem æque laudauit Hieronymus, ac vituperauit pro cultu Origenis. Consule ipsius Apologiam in Ruffinam; Acta Quintæ Sinodi tomo 2. Concil. & Nicephorum lib. 17. cap. 27. & 28.

Plurima de eodem affert Baronius in Annalibus tomo 4.





Pręgrauis HELIAS ætate, trementiaq; ægrè
Membra trahens, antri concaua ſaxa colit.

Hortatur ſocios, vt vitæ errata prioris
Purgantes, ſtudeant dia ſtatuta ſequi.

14

HELIAS ANTINOITA.



RECTE virtus in arduo, vt eo neque facilis omnibus, neque promiscuus accessus pateat, sed tantum fortibus viris cum sudore, & anhelitu. Quod si fluxæ mortalium diuitiæ e putri telluris gremio pręsertim effossæ, anxie adeo terra, mari, morte, ac naufragijs quæruntur, & nonnisi duro labore, & pertinaci abstinentia cumulantur, ac sensim exurgunt, cur non habeat immortalis virtus, precium suum, adipiscendi difficultatem? Decuit tunc peregrinos inter confragosas montis rupes Heliam conuenire, vt pręmium referrent sui laboris, normam innocentis ipsius vitæ, & doctrinam. Iuuit & ipsum Heliam in arduum montem secedere, vt Cœlo propior supernis rebus studeret, & exemptus hominum aspectibus, nihil recte faceret, vt videretur fecisse. Centum ac decem annos natus dicebatur, & ex his septuaginta in ea montis crepidine egisse, cum Palladius Eremitarum apprime studiosus, ad eum reptauit. Montis hic asperitatem adeo expauit, vt diffisus eam apte describere, nobis reliquerit conijciendam ex vna semita, qua ascendentes e vestigijs relabebantur. Sedebat tunc Senex toto corpore tremens ad os speluncæ, quam saxorum moles pręruptæ vndique, & impendentes efficiebant cubile potius aliquod ferarum, quam imbecilli senis recessum. Credas tamen, eam ab Helia haud minus iucunde habitatam, quam nobiles quispiam alius principum ædes: nam postquam in montem ascendit, numquã ad subiectas regiones desiluit, sed ibi vltroneum solus egit exilium. Hæsitas quomodo loci horrorem, & vitæ duriciem illic tolerauerit? Concordant diuina dona piæ hominum voluntati; nam Deus ipse causa suscepti laboris est, & solatij. In ipsa orationis frequentia, post pensum redditum diuinæ laudi, quoties contigit huic in extasim rapi, & inter cœlestæs ciues arcana Dei ineffabilia contemplari? Ita animum in suo Conditore fixum, corporis incommoda minime afficiunt: cum enim illic proposita victoribus pręmia, & apud inferos pœnas impijs statutas meditatur, eo se se transfert libentius, vbi spes manet vitę beatioris. Fidem opinionis habeo, famam inter adiacentes populos celebrem, quod super illum spiritus antiqui Heliæ requieuisset. Nouimus e sacris codicibus, quam familiariter ille Deum alloqueretur; pietatẽ nouimus qua Idolorum euersis altaribus, & mactatis Sacerdotibus, pulchra cæde facinus Isdraelitarum expiauit. Admiramur hactenus Achabi regis oscitantiam, & Iezabelis improbitatem, qua ille actus in desertum aliquando secus

tor-

torrentem Carith, deinde ad Montem Oreb, longo per ſolitudinem itinere ieiunio, ac laſſitudine pene confectus eſt. Eundem aſpeximus curru igneo in Cœlum extolli. Attamen liceat nobis parua magnis conferre, & populorum opinionis rationem efferre, qua in noſtro Helia ſpecimen aliquod conijciebant maximæ virtutis alterius Heliæ. Solitudo vtrique communis eſt. Zelus item diuinæ Legis. At vltio de Idololatris, qua prior Helias eluxit, proximam habeat vindictam poſterioris, qui ſenſus Legis obſeruationi reluctantes compreſſit, & ſinceram mentem Deo holocauſtum dedit. Ille igneo curru Cœlum ſubijt, hic animo flamma charitatis accenſo. Illius ieiunium corui allato pane repulerunt, huius voluntatem pręfixa ſibi quantitas cibi numquam expleuit. nam legitur ætatem robuſtam ſuſtinuiſſe vnico cibo ſemel tantum in hebdomade accepto; & ſeneſcentem nutriuiſſe quotidie teruncio panis, ac tribus oleis non ante ſolis occaſum. Idem multis miraculis claruit, quæ abunde ſanctitatem ipſius teſtantur, ſed nobis id pręcipuum ſit vltra decrepitam ætatem eadem ſemper fide, & vitæ innocentia viguiſſe.

N O T Æ.



E Helia ſcribit Euagrius capite 12. *& Palladius ijs fere verbis num.* 51.

Illum decennio maiorem centenario nihil ſuetæ auſteritatis remiſiſſe prodit Sozomenus lib. 6. *cap.* 28.

Antinopolim vrbem ab Hadriano Auguſto extructam in honorem Antinoi dilecti ab eo adoleſcentis, qui in Aegypto fato abreptus eſt, accepimus ab Dione, & Spartiano, quibus Sanctus Hieronymus aſtipulatur.

Eundem turpiter inter Deos Gentilium relatum, rident Eccleſiaſtici Scriptores, Iuſtinus Martyr in Apolog. Origenes contra Celſum, Chryſoſtomus, & alij.

Floruit alter Helias Cœtui ſacrarum virginum Pręfectus, qui in extaſi ab Angelis exſectus, & pudicitia donatus ſcribitur a Palladio num. 35.

Alius, etiam panes diuinitus acceptos hoſpitibus appoſuiſſe num. 111.





Debellaturus Barathrum, bis millia quinque
SERAPION validos duxit in arma viros.
Ipse quidem telis certauit pluribus, vna
Victor inexhausta sed charitate fuit.

15

SERAPION ARSINOITA.



RBS regionis Cyrenaicæ ab Arſinae Ptolemei Lagi filia auctore fratre Philadelpho nomen ſortita, nobilis aliquando Monachorum extitit Academia: nam ager, qui in Lybiam vergit, ceteris mortalibus ſterilitate, ac ſolitudine ineptus, inſtitutis Eremitarum apprime conueniebat. Hos, inſtar operoſi apum examinis, illic excreuiſſe ad decem fere millia auctores conſentiunt, ſtationibus quidem ſeiunctos, ſed vnius Serapionis imperio obedientes; qui presbyteratus officio inſignis, ſedulo ampliſſimi gregis ſalutem curabat. Ita militia aduerſus Dæmonem, & carnis mollitiem, ab lucta ſingulari ortum ducens, paulatim in manipulos, cohortes, ac demum in legiones euaſerat, diſpertitis inter milites officijs, atque inſtituta diſciplina, qua totus vnuſquiſque in hoſtem pugnaret, & ad maiores militiæ gradus conſcenderet. Itaque e caſtris Serapionis cerneres Legionem prodire, in qua velites, terrenarum rerum deſpectum primi in aduerſam aciem eminus iacularentur; inde inter haſtatos recenſi, orationum contis irruentem hoſtem ſiſterent, mox principibus immixti, ſcuto continentiæ, & gladio contemplationis eundem cominus exciperent; ac demum merito ætatis, & ſanctimoniæ inter Triarios cooptati, ſi quando acies inclinaret, illam inſigni charitate reſtituerent. Et quia cum hoſte inſomni res erat, excubias ſibi vnuſquiſque agebat, & Veteranorum conſilijs Tyrones, Veterani Tyronum ferocia ad victoriam vtebantur. Quis hæc non potius Angelorum, quam hominum caſtra dixerit, vbi miles primum docebatur, abdicata ſua voluntate, alienis iuſſibus obtemperare, & per ſingulos virtutis gradus prouehi ad ſupremum Imperij decus? Id quia non opum, aut titulorum claritudine eminebat, ſed paupertatis, ac humilitatis fauore conferebatur, ab vniuerſis quærebatur enixius, quam optabatur. Nam veteres Patres haud minus ſolicitos faciebat hoſtis auerſus, quam aduerſus; ſuetus nempe Parthorum more fugam inire, vt inſequentes ſagittis acrius confoderet; atque victum ſe ſe interdum ſimulare, vt incautos victores facilius opprimeret. Itaque hi deſpicere bellicam laudem, & victorias Deo aſcribere, ne humana aliquando gloria tumeſcerent. Hauſerant eam diſciplinam ab Doctore gentium, qui ad tertium Cœlum raptus, & diuinis arcanis admiſſus, tamen ad ſtimulum carnis lubens accepit malum genium, a quo colaphis cæderetur. Igitur militum virtutem hoſpes indicem habeto ſui ducis, cum ſcias e diſciplina militari numquam Leonum exercitibus Cer-

uos pręfici, ſed Ceruos ab Leonibus ductari, vt inſitam natura formidinem in audaciam ductoris conuertant. Hiſce ſtudijs diuinæ militiæ ciuile opus admiſceatur, quod liberalitatem Serapionis in egenos, & diſcipulorum ipſius obedientiam plurimum commendat. Cum meſſis appeteret, e ſterili Eremo diſcipulos ad fertiliores regiones dimittebat, vt frugum precio operam ſuam meſſoribus locarent. Hi laborioſos adeo, ac fideles operarios auide ſuſcipiebant, quia in opere æſtus tolerantiam, domi religioſam modeſtiam ſæpiſſime experti, eorum exemplo vbique proficiebant. Duplex etiam hinc Ægypto beneficium. Alterum quod Prouinciæ frugum ditiſſimæ, & colonorum inopis, ſubſidia impendebantur. Alterum quod parta cum Monachis merces, pręter eam, quæ victui neceſſaria videbatur, ad pauperes item redibat ipſius Ægypti. Et quia, vt diximus, Cyrenaicam regionem ſterilem prę ceteris pauperes minus frequentabant, quod Monachorum neceſſitati ſupererat, Alexandriam nauibus mittebatur, egenis, ægris, & hoſpitibus diſtribuendum. Acta meſſe, & congeſta in victum fruge, ad militiam ab agris reuertentes lætabantur ceteris exercitamentis eleemoſinæ opus adieciſſe, neque in eo quicquam propriæ voluntati indulſiſſe, cum fruges arbitrio Serapionis permiſſa, nutu ipſius erogaretur; vt recte dici poſſent, ſudoris mercedem, quam oculati acceperant, cęci aduerſus inanem gloriam profudiſſe.

N O T Æ.



ELEBRIS eſt inter Euagrij Anacoretas cap. 18. *& apud Palladium num.* 76. *ex quibus elogium deſumitur.*

*De eodem agit SoZomenus lib.*6.*cap.* 30. *& Niceph.lib.* 9. *cap.* 14. *qui etiam fuſius de Serapionis virtute meminit lib.* 11. *capite* 33.

Vniuerſorum vna eſt vox illum Presbyterum, & Abbatem decem millibus Monachorum pręfuiſſe, & meſſis tempore diſcipulos aliò operarios legaſſe, vnde his fruges, & pauperibus eleemoſina.

Idem fortaſſis apud Caſſianum eſt, qui auctor inducitur quintæ collationis: & de quo agitur collatione 18.*cap.* 11.





Tirones in monte cauo pia ſcripta docere,
Et labor et ſtudium PITYRIONIS *erat.*

Vincere quo prauos affectus carne ſubacta
Poſſent, ac ſtructos dæmonis arte dolos.

PITYRION ÆGIPTIVS.



SCHOLA Magni Antonij inter cetera Ægypti lumina Pityrionem edidit, quem hæredem eius virtutis non hominum sola opinio celebrauit, sed etiã miracula longe clarius contestata sunt. Edoctus, quicquid ordo Sacræ militiæ deposcebat, quamuis recepto inter superos Antonio, alijs pręfici potuisset, tamen maluit sub Ammone illius successore stipendia facere, quousque idẽ apud mortales fuit. Tunc longo vsu militiæ, & consuetudine tantorum patrum instructus, cum cœpisset proprio marte dimicare, famam illico eximij ducis adeptus est. Famam discipuli plures secuti sunt, quos ipse iunctis exemplo consilijs in castra virtutis citissime aduersus vitiorum petulantiam, & Dęmonis nequitiam perduxit. Primum oportuit, alterum a vetere Antonij, & Ammonis gymnasio instituere, quia id memoria eorum celeberrimum a propinquis populis mire frequentabatur. Itaque mons quæsitus est horridus adeo, vt viatores e Thebaide redeuntes fœdum etiam illius prospectum declinarent. Is succedentibus iniuriam rupibus scaber, & vertice erga subiectum flumen incuruo, ac si pręcipitium sibi ipsi minaretur, intuentium oculos fatigabat. Nihil ibi delitiarum, sed neque ad hominum vsus pręter speluncas, quas nuda silex varijs anfractibus circumducta efficiebat. En hospes antrum, quod pictor enixe studuit saxo, ac tenebris immane simulare, neque tamen satis pro horrore, quem longe maiorem apud vitæ eius scriptores legas. Quot illic specus, tot palestras accipe, vel speculas, vbi aduersus repentinos Dæmonis incursus quisque aduigilabat. Certabat duri militis victus cum ipsa loci asperitate; & cuique firma inhæserat opinio fore acceptius Deo obsequium, quod maiori incommodo impenderetur. Meminerant prisci instituti, quo Iudæorum gens iubebatur e rudi saxo, & impolito aras Deo excitare, vnde libentius loci, & vitæ ruditatem nullo terrenæ ambitionis ferro expolitam, Deo aram puræ sinceritatis erigebant. Neque sacrificio aberat hostia in cędem prona, ipsa obedientia, quam a Samuele didicerant ceteris victimis pręstare. Hanc ipsi Deo votam, Pityrioni exhibebant. Ipse nihil discipulis iussum volens, quod prius sibi ipsi non imperasset, aderat vniuersis incitamentum. Bis in hebdomade cibum ex pulte farinacea sumebat, quo mortem arceret magis, quam vitam produceret. Multa ipsi laus a curatione infirmorum, & plurima virtus, & auctoritas in malos Genios, qui obsident humana corpora. Nam sicut olim superba coniuratione aduersus conditorem suum

sibi

ſibi ruinam, & exilium conflauerant, ita oppoſitam ſuæ infamiæ gloriam humilitatis in Pityrione æque oderant, ac timebant. Odium agnoſcis in diutina fatigatione ac negotio, quod ipſi, & diſcipulis ad æternam vitam incedentibus faceſſebant. Timorem vidiſſes eorum, qui homines vexabant: nam ad aſpectum ipſius frementes, & vlulantes fatebantur, ſe in ſummo algore æſtuare, atque importuna reluctatione ab eo ſibi inferri tormenta. Ea propter innumeri ab eorum obſeſſione precibus beati viri exempti ſunt. Apud Scriptores adhuc extat Pityrionis doctrina, qua noſtræ ætatis Exorciſtæ, ſi velint, facillime infringant improbi hoſtis vafriciem, ac pertinaciam. Aiebat. Quando extorres ij de Cœlo ad infimas telluris caueas detruſi ſunt, etiam a virtutibus deſciuerunt; & ſicut hierarchice ad diuina obſequia diſtinguebantur, ita poſt lapſum retentis ad iniuriam ordinibus etiam inter ſe vitia diſpertiuntur, quibus mortalium felicitati inuidentes, conantur eorum animos inficere, & in contemptum depellere ſui conditoris. Itaque athletam aduerſus eos pugnaturum, oportere primum ſe ab eorum vitijs integrum ſeruare, atque deinde audacter obſidentes aliorum corpora exturbare. Sic guloſum Dæmonem facile protriuerit, quiſquis gulæ lenocinia contempſerit. Sic auaro ſpiritui imperauerit, qui in Chriſti pauperes exercuerit liberalitatẽ. Quis enim arroget ſibi imperium in eos, quorum ipſe iugo deprimitur? vel hoſtilibus armis inceſſat, quos malorum ſuaſores ſequitur, & obſequijs amicos profitetur?

N O T Æ.



ALE in tabellis Sadelerorum Spyridion, qui in Cypro Epiſcopus Thrymituntis illuſtris, inter Patres Nicæni Concilij, nihil commune habet cum Anacoretis.

Pytirionis acta habet Euag. cap. 13. & Palladius num. 74. probe conſentanea.

De eodem mentio eſt apud Sozomenum lib. 3. cap. 13. & Niceph. lib. 9. cap. 14. qui iuncto pene ſtilo ſcribunt, illum aliquando quod Athenas Aſceterium, ſeu Cœnobium inſtituiſſe.

Differt ab eo Pytiron ille, quem Palladius recenſet multæ virtutis virum, & aliorum probitatis æquum exiſtimatorem, num. 42. & Socrates Petirum nuncupat lib. 4. cap. 18.



Maluit **EVLOGIVS** *desertas quærere sedes,*
Quam terere vrbani splendida tecta soli.

Hinc fratres munire suos pietate laborat,
Impiaq; ætatis plangere facta suæ.

EVLOGIVS ÆGYPTIVS.



VEM cernis quercu innixum euoluere librum diuinæ Legis, Presbyterum, & inter Eremitas pręcipuum dignoſce Eulogium, qui lectione indicat mentem ſacris rebus mancipatam, & vultus ſerenitate admirabilem morum manſuetudinem pręfert. Ceteras virtutes conijce ab ipſa ſacerdotij dignitate, quam veteres Patres non profuſe, ſed parce admodum, & quibuſdam tantum viris ſanctitate, & doctrina pręſtantibus, atque ex vniuerſa Monachorum Legione delectis, conferebant. Ita ea ætas diuinarum rerum dignitati conſuluit. Verum nec Patrum opinio, neque ambitio maximi honoris, adeo viros ſtimulabat, vt ſponte hunc ſuſciperent, ſed coacti maiorum imperijs, & inuicti plerumque. Huius rei teſtes habeo alios, qui pia Epiſcoporum violentia Eremo abſtracti, & initiati, populorum ſalutem curare, & pręfecturam animarum ſubire coacti ſunt; alios, qui membra ſibi exſecuerunt, ne initiarentur. Quod profecto ex diuini cultus obſeruantia exactiori, & eorum humilitate, accidiſſe exiſtimo, cum ſciam apud occidentales prouincias ſupremos aliquot ordinum Patriarchas ab ea dignitate conſulto abſtinuiſſe. Sed cum religioſæ exercitationis, & diuinarum rerum apex ſit ineffabile altaris Sacramentum, in quo fideles pijſſimi Redemptoris ſui corpus, & ſanguinem venerantur, atque ſpiritali inde cibo accepto ipſius gratiam ad æternam ſalutem, & pręſidium aduerſus hoſtium nequitiam conſequuntur; ea propter curauerant Patres in Eremo conſtrui Eccleſias, vbi ſtatis diebus ſacra Sinaxis ageretur, atque vniuerſi Euchariſtiam religioſe perciperent. Itaque tametſi eadem omnium eſſet contentio de humilitate, & ordinis reuerentia, oportebat tamen aliquem Sacrorum Miniſtrum deſignari, qui pro libito intus Eremiticam paruitatem, extra cultu venerabiliore, diuini muneris ſplendorem tueretur. Hoſpes talem Eulogium tibi ſuadere potuiſſem ab ipſo Sacerdotis titulo, ſed alterum adhuc ſubijciam Dei donum, quo illum longe illuſtriorem cognoſcas. Noſti proprium eſſe ipſius Dei, & alienum ab hominum natura, aliorum cogitationes, & animo oberrantes curas perſpicere. Ipſe tamen Eulogio dedit, vt ſacris altaribus miniſtrans, merita & culpas cognoſceret ſingulorum, qui ex his participarent. Vnde maius apud quemlibet ſtudium integritatis fuit, & ab omni labe criminum expiatio. Arcuerat olim a ſacra Menſa, quos intellexerat occultis ceſſiſſe cupiditatibus, aut fluxa fide erga Myſterium illud minus ſtare, etiam ſingulis aperiens, quibus ſuggeſtionibus aſſenſiſſent. Siccine, aiebat, auſi eſtis in hanc æterni luminis claritatem

Caſſianus. Col. 22. c. 1.

Sozom. lib. 6. cap. 20.

tem lippos oculos intendere, qui tenebris diffidentiæ hactenus cæcutitis? Ita ad mensam Agni immaculati, quam cohortes Angelorum venerabundæ circumsistunt, accedere vobis in animo fuit, qui inter prauas carnis cupiditates volutati desideriorum adhuc luto sordetis? Facessite hinc, facessite, donec profanam audaciam pœnitentia diluatis, & digna pro facinoris grauitate satisfactione promereamini inter membra illius recipi, quem visibilibus obductum elementis inpudenter adeo appetere non exhorruistis. Quis salutarem repulsam odisset, quæ fulmine veritatis ad commiserationem temperato, potius auerteret nutantes animos ab sacrilegio, quam in desperationem verteret? Quis ignoraret, in verbis Eulogij Dei clementiam, quæ peccatores ab aris submouebat, ne diras sceleris vltrices subirent, atque interim errores mentis, & humanæ fragilitatis culpas exuerent? Hac Eulogij seueritate pie coerciti, & orationum ipsius suffragijs adiuti, sacris & gratiæ reddebantur; vt nulla contumeliæ, sed diuini operis tota ratio esset, quod tumor pestilens animum confecturus cuspide reuelationis incideretur, ne malo ceteros aliquando contactu inficeret.

NOTÆ.



VLOGIVM multis laudibus efferunt Euag. cap. 13. & Pallad. num. 75. Quibus consentiunt Sozomenus lib. 6. cap. 28. & Niceph. lib. 11. cap. 33.

Præter Ammonium Longum, qui postea Origenistam se prodidit, & sibi aurē preciderat, ne Episcopus initiaretur, nobilis est memoria Sancti Nilamonis, qui ne eandem dignitatem subiret, Deum precatus est, vt ante vita excederet, excessitque.

Isaac Abbas ne Presbyter fieret fugam iniuit.

Abbas Motues cum inuitus sacrum caracterem accepisset, tamen ad obitum vsque sacris litare abstinuit. Vitasp. par. 2. cap. 78.





Moribus, atq; animi pietate insignis APELLES, *Cœnobijs, ferrum fabrili haud inscius arte*
Ætherio doctus sacra litare patri, Cudere, sollicita profuit usq; manu.

18

APELLES FABER.



FABRILEM artem, quis religionis tirocinio absimilem putet? Ocium quod illius vires, huius mores corrumpit, anxie vtrinque exploditur. Vigiles ambo vel hymnorum concentu, vel ictibus malleorum auroram anteuertere. Vtrique necesse ad opus, ignem inextinctum fouere; alteri quo ferrum in præstantiores formas recudat; alteri quo semel succensa æstu diuini amoris, eodem iugiter calescat. Illa ferrum, hæc mores elimare: vtraque luxum odisse, ac victus parcitatem sequi. Lector dixeris nos ab officina, & elementari foculo, repente ad flammas cœlestis gratiæ traiecisse, & ærariam artem, præter comparationis apud Rhetores pręcepta, voluisse spiritalibus disciplinis inserere. Ita prorsus ex occasione Apellis huius, quem fabrum, & Eremitam cernis inter aras Deo sacras, & incudes suæ artis versari; vt ea facilitate, qua nos ab arte fabrili ad cœlestium contemplationem diuertimus, tu illum cogites ad virtutum spiritalem officinam a fabrili instituto flexisse. Vixerat aliquandiu apud suos innocenter, mox religionis desiderio incensus in Eremum abijt, vbi faber effectus sui ipsius, mores suos studuit expolire, animumque componere ad iussa sui conditoris. Ita congenitam integritatem transferens ad vitæ genus longe pręstantius, illum mentis candorem inter ipsos religionis candidatos retinuit, quem ab omni huius Mundi caligine inoffensum attulerat. Neque tamen illic malleis, aut æri pepercit; immo diuinis rebus animum tribuens, corpus fabrilibus exercuit, ne in quiete superbiēs auderet spiritui reluctari. Diuinæ vocationis gradus in eo hospes intuere. Faber e fumo, strepituque ruentis sæculi abducitur. In Eremo sui corporis maceratione, & omnium virtutum profectu, sanctitatis opinionem consequitur. Inter sanctos, deferente vniuerso Eremitarum Colleggio, dignus habetur, qui sacrum Presbyterij officium suscipiat. Nihil horum cupide ambitum est, sed collatum propriæ virtuti ab alieno iuditio; quia non pręcipiti voto, sed matura de emerito viro Patrum sententia res tunc temporis agebantur. Cogimur inuiti memorias Clarissimorum virorum breuibus adeo elogijs honestare, quod scriptores de his parcius egerint, dum vtramque Thebaidis solitudinem lustrantes, æmulantur calamo itineris celeritatem. Attamen vnum superest Apellis facinus, quod fidem, & sanctitatem egregie osten dit. Æramenta in vsum totius Eremi noctu Pater cudebat, probe opus vigilijs coniungens. Forsan religiosus faber sacris hymnis opus solabatur, vt id

Cassianus coll.21.c.1

genus

genus habet,cantu laboris duritiem lenire. Silentium,nox, & ſolitudo à reliquis faciebant. Ignis aderat follium impulſu fremens, atque in eo ferrum operi ſubijciendum. Huc humani generis hoſtis irrumpit non armis,aut virili aſpectu, ſed ore fœmineo, & fucata ad ſtuporem vſque pulchritudine. Quid ad illicium huic deeſſet? Num forma? cum etiam maxime deformia ſoleat hominum oculis pro ſpecioſiſſimis obtrudere, ac ſenſus ad nutum fallere? Deeſſet procacitas Magiſtro omnium libidinum? Egeret facundia,qui illam primo ac peſſimo noſtro malo apud Euam omnium parentem exercuit? Cerneres puellam laſciue comptam formæ excellenti ingenuam prætendere verecundiam, & demiſſis blande oculis, velut hominis conſpectum erubeſceret, virgineum pudorem ementiri, interdum tamen his ſublatis modice ſubridere, & acriores libidinum faces eiaculari. Aduentus cauſſam ſimulat,quippiam illius artis ſibi neceſſarium. At Senex initio anceps,qua procax puella per noctis vmbras in Eremum,& fabri Tabernam penetraſſet,dolum paulatim ſenſit,& Dæmonis artem fabrili artificio eluſit. E fornacula ferrum candens manu arreptum in faciem petulantis puellæ iacit, quo percuſſa ſtatim immani edito vlulatu euanuit, illæſa penitus manu, qua Senex ferrum incenſum extraxerat. Fugientis vox in ipſo noctis ſilentio longe atrocior totam Eremum peruaſit, vnde peſſimi Dæmonis contumelia, & Apellis victoria illuſtrior fuit. Adiecit victori donum Dei liberalitas, vt deinceps nudis manibus ferrum candens innocuus tractaret. Itaque hoſtis licet ab elementaribus iniurijs,& plagis hominum liber, ſui tamen ipſius contemptum ad Apellis gloriam coactus eſt fateri moleſtiſſime accepiſſe, eumque ferino vlulatu euulgare, quo ſcirent vniuerſi,nihil Chriſtianæ fidei imperuium eſſe,vel innocentis vitæ meritis inacceſſum.



NOTÆ.



OBILIS iniuriæ, qua infestum hostem Apelles decessit, auctorem habes Euagrium cap. 15. Et Palladium num. 60. Quam repetunt decore satis Sozomenus lib. 6. cap. 28. Et Nicephorus lib. 11. cap. 34.

Horum etiam certior est opinio de loco, vbi miraculis claruisse Apelles dicitur.

Achoris nuncupatur inter Aegyptios, fortassis ab Idolo, seu falso numine, quod ad muscarum pestilens genus abigendum Cyrenaici pars Aegyptiorum recolebant.

De eo meminit Plinius lib. 10. cap. 28. Si quidem sueuisse eos ab Deorum nominibus Vrbes appellare. Testem habeo Hermupolin, Diospolin, Antinopolin, & alias id genus plures.





In triſti Nitræ deſerto habitacula ſacris
Apta exercitijs fixerat ORIGENES.

Mos erat heic, proprias peregrinis cedere ſedes,
Hoſpitijq; ſuis condere tecta noui.

19

ORIGENES ÆGYPTIVS.



DSTA ſpectator; & quidem nomen accipe Origenis eximij Anacoretæ, qui ſub Antonio ſacram militiam apprehendit,& inſtar illius ad vera Chriſtianæ religionis decora prouectus,etiam in noſtro Muſæo locum habet. Sed opus Cœmentarij, quo cellulam peregrinis illico dimittendam, vt alias plures, videtur extruere, ſcito ab Origene prorſus alienum, & pictoris inſcitia appoſitum. Quippe hoc ſtudium nō ipſius, ſed Ammonij Abbatis fuit, qui cum germanis Euſebio, & Euthimio in Scythi regione Anacoretis frequentiſſima aſpere, ac religioſe aliquando victitaſſet, in Origenis delirium prolapſus, & ipſius errores mordicus ſuſtentans, inter Ægypti Monachos turbas,& ſeditiones excitauit;auſus, & Alexandriæ Pontificem carpere, & catholicos errori infenſos maledictis exagitare, donec canente claſſicum Hieronymo,& vexillum inferēte Epiphanio Salaminæ Epiſcopo, Sinodus Alexandriæ coacta eſt,in qua Theophilo Vrbis Antiſtite pręſidēte damnatus ſede Ægypto depellitur. Sed audax Origeniſta nihil fractus tantorum Patrum iudicio ab errore non reſipuit, immo prauo ſemper omnium hæreticorum more,auſus fuit de rebus fidei ad Cæſaris thronum prouocare,& ſacra profanis commiſcere. Habuit etiam aſſeclas ſuos,quātum Sacrarum Scripturarum ignaros,tantum obſtinatiores, e quibus agmine compoſito Bizantium nauigauit,aliquam ibi erroribus opinionem facturus, niſi breuiſſime vita exceſſiſſet. Hoſpes forſan Palladium audiſti,quibus Ammonium laudibus celebret, & Sanctis Anacoretis ſtudeat coniungere; ſed cogita affinem de affine loqui, & familiare ſcelus inter domeſticos collaudari. At noſter hic Origenes apprime Catholicus,& nulla ad pompam oſtentatione, fidem, & diſciplinam, quas ab Antonio Magno acceperat,prętitit vbique incorruptas,ſiue hanc peregrini, ſiue incolę eam cuperent edoceri. Subijcimus imagini Summi viri breue quidem elogium, ſed duobus inſigne ornamentis, quæ auctores de eo meminerunt. Alterum prudentia eſt, qua probis conſilijs optima facta coniunxit, ſibi & alijs pie proſpexit, atque receptam inter populos de ſe opinionem virtute, & rebus bene geſtis tranſgreſſus eſt. Eloquentia alterum, qua Antonij mores,& miracula ſæpe rogatus enarrare, miram ex his doctrinam, ac pietatem auditoribus infudit, & ſancti pręceptoris memoriam frequenti mentione exornauit.

NOTÆ.



ELLVLAS construxisse, ac peregrinis sæpius dimisisse laus extitit Archebij Abbatis Diolcęni, de quo agit Cassianus Institutionum lib. 5. cap. 37.

Etiam Ammonio hoc ipsum tribuit Euagr. cap. 23. & Palladius num. 70. Sed nos Origenistam hæreticum damnatum explodimus.

Celebrent illum vna cum Dioscoro, Eusebio, & Euthymio germanis, Euagrius & Palladius eadem fuligine conspersi, & more eorum qui Cęcos duces sequuntur, in eorum sententiam eant Sozomenus, & Nicephorus. Sed nostri huius Origenis laus sit apud Catholicos, vtpote discipuli Magni illius Antonij, qui hæreticorum omnium familiaritate ex testamento suis sectatoribus interdixit.

Origenis pie meminit Idem Euagrius cap. 26. Sed Palladius silet prorsus.

Nonnulla de eodem reperies apud Sozomenum lib. 6. cap. 30. & Nicephorum lib. 11. cap. 37.





EVAGRIVS ſacri diuina oracula verbi
Doctus, et æternę dogmata legis, erat.

Vnde ſuis ſanctæ pręcepta ſalubria vitæ,
Inuicta aduerſus dæmonas arma, dabat.

EVAGRIVS PONTICVS.



VAGRIO huic imago ſtatuta eſt, non quia aſſertorem prauorum dogmatum Origenis, & cultro Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ deraſum ex albo fidelium, inſeri velimus cœtui illuſtrium Anacoretarum; ſed vt Palladij ſectatoris, & neceſſarij ſui ſtudio inter eos ſubdole olim recenſitus digno inde ſua temeritate elogio extrudatur, & delatus immerito honor auerruncetur. Ad Pontum Euxinum inter Iberos natus ſub Baſilio Magno Cappadociæ Epiſcopo, & fratre ipſius Gregorio Niſſeno ad Eccleſiæ miniſterium delectus, ab eo inter lectores, ab hoc inter Diaconos cooptatur. Item ex Sacrarum literarum ſtudijs aliquam ſibi pręſtantis ingenij fidem parauit, quæ non minimum creuit Niſſeni conſuetudine, qui ad Sinodum Conſtantinopoli indictam proficiſcens, Euagrium ſibi comitem adſciuit, & Nectario in eam ſedem, Gregorio Naziãzeno vltro abdicante, ſuffecto plurimum commendauit. Illic aliquandiu verſatus cum eruditionis, & morum elegantiæ famam aucuparetur, mutuo nobilis fæminæ deſiderio arſit, ſed refugiens adulterij turpitudinem, ſeu veritus viri ipſius zelotipiam, qui multa apud Auguſtos auctoritate, coniugij iniuriam facile vindicaſſet, vſus ſaniori conſilio in Ægyptum abijt. Sed qui adulterium Byzantij effugerat, ſacrilegium in Ægypto ſubijt; & qui zelum coniugalis hominum pudicitiæ timuerat, ſponſam Dei viuentis Eccleſiam auſus eſt cœnoſis opinionibus attrectare. Diximus Alexandriæ Didymum fauiſſe erroribus Origenis, & libros Περὶ ἀρχῶν, ſcholijs vafre ornatum, inter Monachos Ægypti diſperſiſſe. Audiuit eundem Euagrius, & Origenis venenum auribus acceptum altius in cor traſmiſit, quod poſtea proprio felle auctum in maiorem Catholicorum perniciem euomeret. Ita qui ab Cæco ductus in Origenis errores impegerat, eoſdem oculatus voluit ad occidentis populos traſmittere, vſus propterea Ruffino Aquileienſe, qui libros Περὶ ἀρχῶν latinitate donatos Romam inueheret. Res iam in vota conceſſiſſet, atque malis initijs deteriora adiuncta eſſent incrementa, allatis in vrbem libris, & in vulgus iactis, niſi Marcellæ nobiliſſimæ Romanarum mulierum fide, ac religione, indicio detectum venenum, & infame redditum voce Hieronymi e pago Betlehemitico fulminantis, Summi Pontificis decreto exaſtum eſſet, ne latius ſerperet. Etiam ipſe Ruffinus inuector portentorum iuſſus cauſſam dicere, & ſibi male conſcius, abſens anathemate notatus eſt. Interea Euagrius ab Alexandria Hieroſolimam profectus

Pallad. n. 86.

Hieronim. Epiſtol ad Pamach.

fectus, apud Melaniam Seniorem Romanæ fidei quale decus! (nisi excidisſet) aliquandiu manſit, ægrotauitque; male tamen hoſpitij repenſo officio, quando nobilem fæminam hactenus de Chriſtiana re optime meritam eodem Origenis cœno aſperſit. Eadem hortante, cum religionis cucullum induiſſet,ad montem Nitriæ profectus eſt, vbi in grege Cœnobitarum biennium exegit. Proinde arbitratus tantum in Gymnaſio profeciſſe, vt ſolus iam militare poſſet, in Scythin Eremum contendit. Recruduit tamen in ea ſolitudine venenum,quod Didymo propinante hauſerat, atque in vomitum erupit. Itaque libros quoſdam effutijt ad Monachos, ad Virgines, & ad Melaniam ipſam melle perlitos eloquentiæ, ſed Origenis opinionibus confarcinatos, quibus ſimplices Eremitarum mentes veteri famæ Origenis deditas,& recentium errorum ignaras,ab Eccleſiæ vnitate aberrare fecit. Præ ceteris nixus eſt apathiam, quam nos impaſſibilitatem, vel impeccantiam dicimus, acceptam e ſcholis Stoichorum,in Eccleſiam referre. Libero ea hominis arbitrio tãtum tribuebat, vt ſua vi talem ſibi hominem obfirmaret,qui Deo, vel ſaxo ſimilis, nulla poſſet perturbatione commoueri. Explodebatur etiam fomes peccati,qui poſt collatam in baptiſmate gratiam remanet,vt hominem exerceat, & ad promerenda maiora victoriarum præmia ſolicitet. Lector huius opinionis maxima adhuc veſtigia reperies apud Palladium in Lauſiacis,quibus eundem Euagrij contubernalem, ſectarium, & laudatorem dignoſcas. Scripſit etiam vitas Eremitarum,vt Catholicis Patribus Origeniſtas ſuos intermiſceret, quod tamen Hieronymus probe ſenſit, nec tacuit. Mirum quot ex ea doctrina in Ægypto rixæ excanduerunt, & ſciſſa Chriſti fides quantum perpeſſa, dum Origeniſtæ errorem Antropomorphitarum Catholicis obijciunt, eoſque Piloſiotas vocant; hi venenatos colubros iure execrantur. Eodem diſſidio cognitum eſt, quantum ſibi arroget ignorantia ſtudio decepta opinionis. Monachi Origenis ſtudioſi, quem martyris filium,& eruditiſſimum ſcriptorem audiebant, ſed hæreticum non nouerant, eò temeritatis progreſſi ſunt,vt Theophilum Epiſcopum pene opprimerent, niſi coram Origenem laudauiſſet. Vulgus etiam eorum ſanctitatis opinione ductum ſuaderi non poterat,quod pro hæreſi aduerſus fidem catholicam cõfligerent. Ea propter ambigua vbique concertatio, & ex inſcitia temeritas. Et quamuis ſinodali iuditio damnati apud bonos excidiſſent, tamen maiora tentare aggreſſi ſunt,dum eorum Centuriones Euagrius,Ruffinus, Palladiuſque, (& Ioannem Epiſcopum Hieroſolimitanum adijciam) eorum incendijs faces ſubminiſtrarunt. Ab his Pelagius poſt aliquot annos anſam accepit impiæ hæreſis, qua apertius liberum arbitrium præter gratiam diuinæ largitatis ſuſtentans, multas orbis terrarum prouincias depopulatus eſt. Sed plura diximus de Hyperborita, quã par eſſe videatur, cum ſciamus illum re-

Hieronym. Epiſtol. ad Cteſiphon

Hieronym. Ibidem.

petitis

petitis Ecclesiæ Sanctæ iuditijs,& in quinta presertim Oecumenica Synodo, & duobus Romę Concilijs,hæresis damnatum,in pręsenti Musæo non ad ornamentum sui ipsius, vel loci, sed in probrum hæreticorum stare. Habuit tamen laudatores suos, ex quibus alij virtutem ipsius, & ingenium ante susceptos errores Origenis commendant; alij ijsdem erroribus impliciti, vt mulorum est se se mutuo scabere, antesignanum suum immodice extollunt. Sic Socrates hæresi Nouatianus ausus est illum Macarijs sanctissimis æquare; & Gonnadius Pelagij alumnus miraculis honestare; atque Palladius ceterorum Euagrio addictissimus eundem scribere vixisse instar Apostolorum.

N O T Æ.



RAETER Palladiũ asseclã, habet Põticus laudatores suos Socratẽ, Sozomenum, & Nicephorum, quorum alter sumpsit ab altero.

Latuit aspis aliquãdo obtecto veneno inter choros Angelorum; sed simulatio palam fuit, cum libros sententiarum edidit, quibus Apathiam, quam D. Hieronymus impeccantiam, Nicephori interpres Indolentiam nuncupat, secutus Origenem euulgauit, qui eandem e schola Stoicorum ebiberat.

Ceteras item illius opiniones de primæua animarum aliquando origine, & de earum ablegatione ad inferiora corpora in pœnam delicti, ceterasque eiusmodi impietates cum Didymo illo Cæco, & Ruffino, Palladioq; Galata tenuit, docuitq;

Hinc Hieronymi zelus, quo Ponticus idem cum ceteris Origenistis exagitatus extra limen Catholicæ Ecclesiæ proiectus est.

Totius facti seriem recenset Baronius in Annal. tomo 4. & 5.

Plura etiam de eo notantur in Indice expurgatorio Romæ, tomo 5.

Bibliothecæ veterum Patrum in Euagrio.

De eodem rectissimum habetur iuditium Sancti Ioannis Climaci, & Quintæ Synodi auctore Sancto Tharasio Episcopo Constantinopolitano, vt in actione 3. Concilij Nicæni 2.

Sed Euagrium illum, de quo in libro Vitasp. scribitur cap. 3. oportuit alterum esse ab hoc Pontico, quia Ponticum nimis dedecuisset de seipso scribere, & adeo procaciter seipsum Sanctis Anacoretis immiscere.

Vel si de Pontico id accipiendum sit, dixero ab aliquo sectatore ipsius adsutum esse.



OR deserta colens paucis accessa, flagrantes
Ad Dominum fudit nocte dieq; preces.

Huic pluuialis aqua, et iunctæ siluestrib⁹ herbis
Crudæ radices potus et esca fuit.

ORVS ÆGYPTIVS.



DHVC ſcorpius inter bombices. Iam hoſpes mores hęreticorum nouiſti, qui ea tempeſtate ſcribentes res ab Anacoretis pręclare geſtas, conſulto optimis Patribus, & Catholicæ veritatis propugnatoribus, adiunxere ex ſuis aliquot perduellionis reos, damnatoſque. Duplex conſilium: Poſſe malos ſub pallijs bonorum impune agere, & malorum infamia bonos affici, vel vniuerſos æque bonos exiſtimari. Sic Ponticus ſub initio voluminis ſui Ioannem Ægyptium Prophetam egregium pręmittit, quem alij ſectæ ſuę viri ſubſequantur. Ita etiam Palladius Pontici ſimius poſt Ammonem Nitriotem ſanctum apprime virum Orum hunc intrudit; & poſt Serapionem Sindonitam affert ſuum Euagrium, quos ambos Origeniſtas, & ab Eccleſia proſcriptos orbis terrarum vniuerſus redarguit. Sed cur accurate adeo perſcrutemur eorum vafriciem in quærendis apud Sanctos latibulis, cum habeamus Hieronymi teſtimonium plorantis, quod inter choros Monachorũ, quos Angelos dixit, Origeniſtas latere aſpexerit, quos etiam merito Aſpides appellauit. Habeat igitur Orus ſuam famam ab aſperrimo vitæ genere, & morum pręſeferat integritatem, nõ tamen adſequetur beatitudinis pręmium, quod in Catholica tantum Eccleſia, & fide creditur, & meritis datur. Scribitur in ſomnis ab Angelo admonitus eſſe. Eſto, dum Catholicæ fidei communicauit. At ſordet commentum auctoris, cum ſcribit, Orum diuinitus peritiam Sacrarum literarum accepiſſe. Nam quomodo vir diuinæ eruditionis applauderet Origeni in his, quæ vel illiteratæ mulierculæ veterum traditionibus inſiſtentes, & vulgatam ſequentes fidelium (pro captu) doctrinam, reſpuerent, ac deteſtarentur? Quam diſcors ab diuina iuſtitia ea opinio, quod vnigenitus Dei filius, ſicut olim ex Virgine factus homo vt Adæ ſcelus, atque vniuerſi generis crimina expiaret, ſe ſe in ara Crucis Hoſtiã obtulit Deo Patri, ita aliquando carnem, & Crucem pro rebelle, & contumace Angelo eſſet reſumpturus? Siccine ſuperbi ſpiritus malitia æquatur miſelli hominis fragilitati? Angelus ingrate, ac proteruę liberaliſſimi ſui conditoris maieſtatem affectans comparabitur Adæ, quem idem Angelus inuidioſe nequam in contemptum eiuſdem conditoris, & mortis pœnam induxit? Itane eodem Chriſti Sanguine deceptoris Angeli atrocitati, vt ſimplicitati decepti hominis conſuletur? An poſt rebellionis crimen vnquam audita eſt perditiſſimi ſpiritus pœnitentia? Adhuc Maieſtatem odit, & ſeruos illius exagitat, vt ab

Hieronim. Epiſtol. ad Cteſiphon.

Lib. 3. Apolog. contra Ruffinum.

Seuerus Sulp Dialog. lib. 1.

O ipſius

ipſius cultu, & gratia deſciſcentes ſecum æternas impietatis pœnas luant. At error hic Origenis ceterorum index eſto, ne oculos pij Lectoris immundis adeo blaſphemijs detineamus. Itaque Orus iſte, vel non hauſit diuinitus diſciplinam, vel ad exemplum Didymi illius Alexandrini inſana Origenis ſectatione corrupit. Ideo Euagrij, Ammonij, & reliquorum ſocius, eodem anathemate ictus, nullum hic locum obtinet, niſi in erroris deteſtationem, & memoriam Catholicæ in ſeipſum vindictæ. Minus etiam Palladio, & quibuſdam eius ætatis, & ſectæ auctoribus creditur, qui Oro aſcribunt eximiam virtutem aduerſus malos Genios, & miracula comminiſcuntur. Nam quomodo hic malignos ſpiritus ex aliorum corporibus extruderet, qui corde hæreſibus inſtructo eos exciperet, ac foueret.

NOTÆ.




RECTE Caſſianus docet eſſe admirabilius de ſeipſo vitia, quam de altero Dæmones extrudere, Collatione 15. cap. 8.

Orus iſte, a Hieronymo Or, a Sozomeno Ores dictus inter hæreticos Origeniſtas ſit.

Nicephorus lib. 11. cap. 33. ſcribit non accepiſſe illum diuinitus gratiam eruditionis, vt Palladius comminiſcitur, ſed adeo valuiſſe memoria, vt quæ ſemel audiuiſſet optime retineret.

Tribuunt eidem miracula laudatores ſui: ideo lectorem admonitum volo, quod Græci ſcriptores, Socrates præſertim Nouatianus, & Nicephorus in hoc incumbunt, vt Origeniſtarum cauſſam non ad errores Origenis defenſos, ſed ad priuatas Theophili Alexandri Epiſcopi ſimultates trahant.





Numinis afflatus ſacro spiramine COPRES
Arua colit, plantat, ſeminat, atq; metit.

Vsibus humanis permultas colligit herbas.
Et ſteriles agros fertilitate replet.

COPRES ÆGYPTIVS.



OSPES deinceps nullas hæreticorum imagines aſpicies, neque inſcriptiones vltrices ſcelerum, ſed delectos heroes Catholicæ fidei, & vera Eremi ornamenta, quibus maximarum vrbium gloriam anteiuit. Quem cernis compoſitis ad maieſtatem oculis ex imagine ſanctitatem ſpirare Copres eſt Eremita, & Presbyter vices Apoſtolorum perſunctus in ſubiecta regione, in quam Chriſtianos ritus inuexit, & incredibili exitio ſterilitatis ſublato vberrimam intulit fœcunditatem. Vigebat apud extremas Ægypti regiones adhuc Idolorum ſuperſtitio, quamuis Auguſtorum reſcriptis, & Chriſtianorum miraculis, & concionibus longe antea cœpiſſet vrbibus exulare. Nam Principum iuſſa eo, vel non peruenerant, vel gens auito ſceleri inhærebat firmius, quam ratione, & hortatu diuelli poſſet. Etiam contra ruſticorum duritiem tanto acrius laborari oportuit, quanto minus doctrinæ ex imperitia admittebatur. Dixerim quoque refractarios Dæmones obſtitiſſe, ne antiquo iure exciderent. Attamen eorum peruicaciam, & gentis cæcitatem deuicit Presbyteri huius labor, & tolerantia; adeo vt plebs paulatim a profanis ritibus abducta ad Chriſti religionem tranſiuerit. Animorum ſalutem agri felicitas ſecuta eſt, cuius hoc vitium fuerat. Segetes meſſem longe minorem dabant, quam ſemen, & aruorum cultus requirebant, & eorum luxuries pollicebatur. Cum enim in ſpicas adoleſcerent, malum ſibi gignebant, vermiculorum genus, a quo miſere conficiebantur. Suſcepta Chriſti fide Neophiti, vt id malum auerterent, Presbyteri ſui preces apud Deum poſtulabant. Reſpondit is non vermes tantum deſituros, ſed ipſam arenam fruges daturam ſi in fide perſiſterent. Ea vox obauditæ precis, & futuræ fertilitatis omen vulgo accepta. Nec mora. Sinus complent arenæ pedibus Copretis ſubſtratæ, & rogant, vt ei ſacro ritu bene precetur. Fides, qua res tota agebatur, e ſucceſſu futura erat recepti cultus teſtimonium. Annuit Deus votis fidelis populi, qui poſtquam ſacerdos iuxta eorum fidem arenæ fœcunditatem apprecatus eſſet, eam ſemini immixtam per arua diſperſit. Mirum humanæ fidei a diuina liberalitate ſubſidium. Cum ager extra omnem vermium iacturam pulcherrimam frugem dediſſet, regio deinceps alias totius Ægypti vberiores annona ſuperauit. Presbyter publicum commodum in ſuam etiam rem traxit. Hortulus eadem ſoli ſterilitate laborabat. Huic ſemen iniecit arena benedicta mixtum, quo in poſterum herbarum, & arborum ferax euaſit. Inde

quo-

quotannis incolarum mos fuit, ſatiuo tempore ad Copretem arenam afferre. Sed hæc inter agreſtes populos geſta adhuc maiorem ſibi fidem vindicant ab vrbe proxima, in qua Copres idem prodigio excellentiori de Mago Æthnico triumphauit. Eam noua ſeges Chriſti fidelium incolebat, quam iſte magicis artibus inſtructus peruertere ſategit. Copres in auxilium opportune aduolauit; verum quamuis comptis illius mendacijs nudam, atque ideo fortiorem veritatem obiectaret, tamen nequibat lubricum anguem adeo retinere, ne facundus publico malo e manibus veritatis in aliquam apud vulgus inane opinionem elaberetur. Deerat iudex cuius arbitrio maxima de religione controuerſia committi poſſet; & plebecula verborum ſtrepitum ſequens merito timebatur, ne in partes illius concederet, qui extremus in agone ſtetiſſet. At Copres, vt fidei negotium extra aleam popularis imperitiæ ſiſteret, remoto verborum apparatu experimentum obtulit, quo quiſque ſuo periculo propriam fidem obfirmaret. Rogum in foro ſuccendi iubet fidei, ac perfidiæ examen: Mox infidelem manu apprehenſum ſecum in flammas trahit. Ille reluctans dictitare rem ſeorſum agendam eſſe, atque debere illum prius de ſua fide periclitari, qui periculum exhibebat. Presbyter aſſenſit, & inuictæ crucis ſigno munitus ſeſe rogo immiſit. Flammæ reſilientes nulla virum Dei iniuria affecerunt, viſæ palam humano ingenio corpus illius declinare, & extra latus crepitantes ſueto more deſæuire. Ad horæ dimidium Copres in rogo ſtetit, mox illæſus exiluit plauſu omnium exceptus. Horrebat propterea Magus non iam fidei periculum, ſed ſupplicium infidelitatis; & moras nectens fugam meditabatur, cum turba erga victorem prona miſerum illum renitentem, & hominum Deorumque fidem implorantem, in rogum coniecit, quo repente ambuſtus vix aufugit, & inclamantibus vniuerſis vrbe perpetuo exulaturus abſceſſit. Hoc operis alterum eloquentiæ facinus ſequitur. Vicus erat, cuius templum Dijs ſacrum incolæ ſacrificijs frequentabant: atque his ſtata dies agebatur, quando Copres ea iter faciens gentem aſpexit Idolis hoſtias cædere. Porro errorem pie miſeratus illico ſermonem inſtituit de inani Deorum cultu, atque rationalis hominis indigna erga ſtipites, & ſaxa (viliſſima pondera) veneratione, pro qua Deum rerum omnium conditorem, & rationis donatorem aduerſaretur. Ea Sancti ſpiritus gratia, at orationis extitit vehementia, vt plebs ad fidem Chriſti accedens breui idolis cultum abrogaret. Diximus hortulum iactu arenæ fertilem redditum, ſed rurſus altero miraculo inſignem cogimur dicere. Olus inerat Copretis manu excultum, quod in arenoſa ſolitudine perrarum ſui deſiderium multis inijciebat. Paganus audax præ ceteris noctu id ſuffuratus eſt. Cibus ex eo parabatur; ſed cum lebeti ad tres horas fur ignem iugiter ſubdidiſſet, tamen olus adhuc virere, aqua frigere, ac ſi trium horarum ſuccendium neutrum affeciſſet. Stupor hominem

minem

minem inuasit, deinde furti detestatio, & cupido redimendi facinoris facto meliori. Olus ad Copretem refert, reatum, & prodigium pandit, & in fidem Christi recipi obnixe orat. Sceleri ignotum est, & roganti post dies aliquot sacra ablutio de more prestita. Hæc, ne aliquando in dubium reuocarentur, Monachi cuiusdam incredulitas fecit. Namque dum inter plures Copretem de se modice loquentem audiret, & aliquando pro gloria diuinæ opis contingeret miraculorum meminisse, Monachus nugatoria putãs facile in soporem abreptus est. Stertenti videbatur idem Copres manu librum tenere ornatu, & aureis literis admirandum, vnde suæ narrationis argumentum desumeret. Prope senex aderat canicie, & aspectu supra humanam speciem verendus, qui truci supercilio dormitantem arguebat, quod oscitanter adeo Presbyterum auscultans auderet impudenter dicta in dubium vertere. Minæ soporem dispulerunt. Ille repentino terrore percitus rem nequiuit socios celare, sed vt proprio dedecori parceret, somnium his latine expressit. Hinc maxima viri rebus, & sanctitati fides. Verum risu æque dignissimum ingenium illius fuit, qui credidit Copretem ignarum latinitatis id somnium latuisse, cuius sanctitatis fuerat, immissa visione, torpidum animum excitare.

NOTÆ.



OPRETIS huius acta Lector reperies apud Euagrium cap. 9. & latiora aliquantulum prestabit Palladius num. 54.

Egregia de eodem mentio extat inter Sozomeni historias lib. 6. cap. 28.

Nec discors apud Niceph. lib. 11. cap. 33.

De intrusa Mutij historia inter Copretis narrationes, quas habet Euagrius, ac silet Palladius, satis superque iam diximus in notis ad Mutium.





Mundanum fugiens ſtrepitum MACHARIVS, *orta*
Ægipto ſoboles, relligione flagrans,

Apta pijs precibus loca ſubterranea quęrit,
Inſiſtitq; humili flectere voce Deum.

23

MACARIVS ÆGYPTIVS.



QVI fossores summo vitæ periculo auri fodinas irrumpere, vel ad exitium obsessæ vrbis cuniculos agere admirantur, opus longe minus aspiciunt ingenio Macarij huius, qui inter arcana telluris viscera, non opes, aut sanguinem, sed quietem, ac tranquillitatem quærit. Ipse hunc cuniculum pertinaci labore ad semistadium produxit, quo ad Cryptam euaderet tantũ spacium dissitam, si quando appulsus populorum sibi orationis, & meditationis studio interdiceret. Saxorum asperitates, tenebras, & silentium, quæ mortales ceteri oderunt, Anacoretæ enixius sectabanrur, vt illic procul ab aspectu, & strepitu humanarum rerum, mens firmior inhæreret diuinis. Lumen e laterna vultum Senis illustrans, quemadmodum oculos exhibet lectioni intentos, ita animum demonstrat præter omnem curam adfixum cruci dilecti Redemptoris, cuius memoriæ, & obsequijs horror cryptæ, & silentium probe conueniunt. Hic Ægyptius genere, omnium scriptorum illius æui testimonio celebris, fertur trigesimo suæ ætatis anno inter Tyrones sub Antonio militare cœpisse. Quadragesimo Presbyter initiatus Scythi solitudinem omnium primus aggreditur, vbi solitudine, & austeritate loci, & victus, Anacoreticæ perfectionis specimen, & posteris exemplum prębuit. His armis postquam carnis vitia, & Dæmonis impetus diutino belloq; infregit, non tamen valuit Arianos hæreticos arcere, qui vrbibus sua contagione infectis etiã intra secreta Eremi Catholicos Patres cruentis armis appetiuere. Quippe recepto inter Diuos Athanasio acerrimo fidei propugnatore, Lucium quẽdam pseudo Episcopum secuti, Alexandrinam Ecclesiam, quæ eorum impietati renitebatur, euersis aris, direptis donis, necatis, vel eiectis æditius ad extremam fere cladem concusserunt. Eadem rabie eques in Eremum immissus innocentes Patres ad vrbem traxit, vbi primum suggestione, & blanditijs, deinde tormentis, & mortis terrore studuit Arianorum factio illos propriæ perfidię illigare. Sed cum fidei tesseram ab Apostolis traditam, & in Niceno concilio obsignatam audacter profiterentur, & iugulum alacres gladijs extenderent, hæreticos adeo terruerunt, vt neque auderent his mortem, quam cupiebant, inferre. Igitur ne auctoritas sceleris Patrum virtute apud populum frigeret, fidei splendorem, quem nequibant ea hæresum lippitudine sustinere, exilio ablegant. Macarius noster cum altero eiusdem nominis, & sanctitatis viro ad insulam pestilentis Cœli inter Ægypti lacunas, alij aliò exula-

Cassian. Collat. 24. ca. 3. & 4.

Cassian. coll. 15. c. 111.

Theodor. hist. lib. 4. cap 19.

turi deportantur. Sed vbique locum esse virtuti, exilium temporis breuitate, & rerum gestarum magnitudine, ostendit. Ad insulam Christi fides nondum pertigerat; & incolæ addicti patrijs ritibus, quemadmodum commercia peregrinorum respuebant, ita veterem cultum, & barbariem congenitam retinebant. Noctu Sanctorum exulum Scapha vix appulerat, cum flaminis Idolorum filia malis Genijs agitata, clamore strepituque domum, & oppidũ vertens ad peregrinos Patres prosiluit. Furor indecorus virginis verecundiæ, & patris sui dignitati, plurimos Oppidanorum ad littus traxit. Illa Sanctorum pedibus aduoluta lamentari, immo Dæmones ore ipsius fremere Dei seruos secum improbe agere, qui antea vrbe depulsos, postea Eremo exturbatos, adhuc prohibeant, ne in minimo totius Ægypti angulo conquiescãt. Veterrimas hic sedes sibi, gentem vltro deditam, non iniurioso bello subiectam. Cur ipsi opum, & dignitatum contemptores sibi inuideant Insulam palustri limo obsitam, sterilis soli, & ob aeris inclementiam extra omnium mortalium cupiditatem? Si tyrannice occupare, & ius fasque peruertere in animo habeant, se recessuros, vt habeant. Illi immundos spiritus silere imperatos fusa ad Deum oratione eijciunt, & puellam pristinæ tranquillitati redditam Flamini eius patri, quem miseratio furentis filię eò perduxerat, restituunt. Gens tanto Christianæ religionis experimento incipiens Idolorum amentiam suspectare, deinceps libentius aures præbuit Macarijs Deum verum asserentibus. Neque in longum protracta res. Insigne, quod erat sceleris & religionis, Fanum Deorum demoliũtur, & Christo Ecclesiã statuunt. Fama Alexandriam perlata Arianos perstrinxit, qui diffisi factum improbare collaudante plebe, & veriti ne Catholicorum fidei maior in dies honor accederet, sanxerunt ab exilio extorres occulte reuocari, & ad Eremos dimitti. Ita Macarius auctus titulo confessionis ad cryptam, & sueta studia reuertit, quæ nulla postea perturbatione intermisit. Eodem absente Crypta insignitur miraculo, quod apud Ruffinum legas. Cæcus trium dierum itinere ad eam perduci rogauerat summo comitantium labore. Vbi Senem abijsse comperit, pręsentes rogauit, vt ad eam parietis partem ducerent, vbi Senex cubare consueuerat. Ex ea aridum lutum, quo oblinebatur, detrahens, & aqua proximi putei, vnde idem bibere solebat, lutum dissoluens, eoque oculos liniens, abluensq; extemplo lumen recepit. Postquam ab exilio redijt maioribus prodigijs claruit, ex quibus iuuabit pauca quædam referre. Rixa inter accolas orta vnum ex his prostrauerat. Alter perperam homicidij insimulatus cum ad supplicium peteretur, salubri consilio ad Macarij cellulam perfugit; nam eius auctoritas tumultum pręcipitis turbæ in æquum, ac maturum de re iudicium conuertit. Porrò ille necis reatum negare, hæc leues suspiciones obijcere, nullibi tamen tęstimonij, vel indicij satis. At Senex certo facti seriem

Hist. li. 2.

rescitu-

resciturus ad sepulcrum interfecti illius perrexit, & Christi nomine adiuratū iussit edicere, num auctor eius necis extitisset, qui accusabatur. E tumulo vox reddita est, non illum sibi vitam eripuisse. Vocem plebs agnouit, ac stupuit, cupiens vlterius de homicida interrogari. Cui Senex, hominem inquit profuit calumniæ eximere, obest alterum capitis periculo implicare. Etiam magicum facinus Macarij Sanctimoniæ cessit. Puella viro nupta iugalem fidem insigni pudicitia tuebatur, deperibat eā Ægyptius adolescens irrito labore, ac libidine. Ea propter ad sacrilegas artes conuersus, vt marito odium puellæ, gratiam sibi pararet, pręstigiatoris cuiusdam opera illam equina specie deformem oculis intuentium exhibet. Coniux, qui domo abscedens puellam reliquerat, vbi rediens equam adspexit, pene dolore concidit. Nec minor puellę stupor, dum familiares auersis ab ea oculis sermonem horrent, in stabulum conijciunt, & iumentorum pastionem apponunt. Sic familia subtrahente humanos cibos, ipsa belluinum pabulum refugiente, triduo ieiunatum. Perijsset tandem misera, nisi Deus viro spem iniecisset, posse abigi malum Macarij intercessione. Igitur vxorem capistro ad virum Dei adducit. Discipuli obuiam profecti, & eadem illusione caligantes, sciscitabantur quare equam sic ad Senem traheret. Ille obortis lacrimis inquit. Hanc ego puellam vxorem duxi, nunc equam traho incertus mea, an sua culpa. Interea Macarius de coniugum infelicitate à Deo pręmonitus eundem intentius precabatur, & post orationem egressus cellula nullo pręstigio deformem, sed afflictam intuitus puellam lustrali eā aqua perfudit, & sacris precibus adhibitis subiecit astantium oculis ex equa puellam aspiciendam. Cibo adiuta dispulit tridui inediam, & ab eodem Macario acccepit, quomodo deinceps sese tutam aduersus pręstigias seruaret. Namque intellexit, ideo Magum ausum fuisse suis artibus in eam sæuire, quia diutius abstinuisset sanctis Ecclesiæ mysterijs, quæ tutissima sunt Christianorum arma, & pręsidia. Alterius etiam virginis curatio admiranda. Inuaserat corporis verenda vlcus malignum, quod late serpens etiam vermes ferebat putridum corpus depascentes. Fœda res, & morte ipsa atrocior. Sanctus integram hebdomadem precibus vacans, cum sæpius perductam ad se virginem oleo vnxisset, incolumem remisit, ita excisæ carnis vitio coaptato, vt ablato quod sexus fuerat muliebris, puella eunucho simillima libere postea inter viros degeret. Adhuc maiora? Hæreticus quidam Hieracis sectator facundo ore, & aculeatis e Dialectica argumentis, aduersus futuram carnis resurrectionem inuectus, audientium Idiotarum animos, qui plures aderant, ambiguos agebat. Eò Macarius accitus profluuium illud verborum vno Pauli Apostoli dicto stitit, & nutantes imperitorum mentes perinde obfirmauit, atque si hæreticum eodem Pauli gladio detruncasset. Inquit. Non est in verbo regnum Dei, sed in virtute. Cœmeterium adest, si quis

defunctorum euocatus surrexerit, ei, qui euocauerit, fidei, & resurrectionis testis esto. Fœdus id acceptum. Rogat Hieracitam Senex, vt prior fidei suæ periculum faciat, ille primas seni tribuit, qui pepigisset. Flexis ad orationem genibus Pater Deum sibi, ac fidei adesse rogat, & nomine ipsius iubet Monachum nuper defunctum reuiuiscere. Vox vitæ nuncia statim de sepulcro auditur, exhumatur defunctus rediuiuus veræ fidei, & futuræ resurrectionis testis. Nugator ille inita statim fuga extra regionem exulatum abijt. Aliud etiam portentum est gulosi Dæmonis, quod subijciam. Adolescens obsessus ita ab eo afflictabatur, vt frequenter cogeretur ternos panis modios, & aquæ amphoram vna cœna absumere. Sed quia stomachus tantum cibi pondus continere non poterat, id eructatione egestum Dæmon in fumum vertebat. Immanis vorago non vnius priuatæ familiæ fortunas, sed census maiorum Principum hausisset. Igitur cum inopia largitatem ciborum minueret, (refugiunt aures immunditiam) cogebatur infelix propria resumere excrementa. Hunc contrarijs omnino artibus, & more Medicorum antidotis Macarius curauit. Gulæ pessimi Dæmonis obiecit ieiunium septem dierum. Superbiæ adhibuit tormenta humillimæ orationis. Iræ opposuit miram erga affectum iuuenem charitatem. Sic vorax hospes eiectus. Claudatur elogium dono vaticinij, quo Macarius præter cetera virtutũ prodigia post mortem eluxit. Duos in Scythi discipulos erudiebat. Ioannes obsequijs magis aptus, etiam familiarius altero, Seni hærebat. Animo ipsius inerat aliqua parcitatis rubigo, quam Macarius præsentiebat paulatim in auaritiam, deinde in rapinam fore coalituram: Ideo oppositum auaritiæ malo decus liberalitatis inculcans dicebat, opes religioso viro venenum esse, & diuitiarum cupiditatem non abesse ab Idololatria; vnde eidem minabatur vetus Giezi suppliciũ, si quando ab hac virtute, qua Dei Munificentiam seruuli æmulantur, ad vitium transiret, vnde facillimus ad quamlibet iniquitatis speciem traiectus est. Miscet namque auarus opum desiderijs cædes, periuria, rapinas; nihil inter Sacrum, & profanum discernit, vnum eidem ius, & iniuria. Interim Macarius nonagenarius cursum suæ ætatis, quam Sanctissime egerat, morte absoluit, & Ioannes eius cellulæ heres eidem in Sacerdotio subrogatur. Sed confisus solo dignitatis titulo posse virtutes retineri, immemor vaticinij sensim a vestigijs Macarij recessit, & in auaritiæ cœnum lapsus, etiam pauperum Christi bona ex fidelium liberalitate legata raptu vsurpat. Flagitium illico pœna secuta est, quæ Giezi lepram iuxta Senis vaticinium misero intulit adeo immitem, vt scabrum vbique corpus, nec spatium inter pustulas haberet, quo extrema digitorum illæsa ad cutem pertingerent. Quoad vixit misellus proprij criminis, & alterius sanctitatis testimonium, potuit ceteros ex ipsa morbi atrocitate sacrilegij pœnas edocere.

NOTÆ.



ACARII huius festa dies est in fastis Ecclesiæ 18. Calend. Februarij.

Fuse de eo scripserunt Euagrius eius aliquando discipulus cap. 28. & Palladius num. 19.

Omnes fere auctores ipsius Sanctitatem, & miracula contestantur. Vnum nos notandum duximus.

Quæstionem de resurrectione susceptam aduersus Hieracitam, quam Palladius, & Sozomenus vix attingunt, longe ab hac Euagrij narratione refert Cassianus Collatione 15. cap. 3. Ibi hæreticus aduersarius non Hieracita, sed Eunomianus ponitur.

Mortuus ille, qui suscitatur, non dicitur Monachus nuper sepultus, sed antiquissimus Idolorum Sacerdos, qui Regum ætate vixerat longe ante aduentum Saluatoris Iesu Christi.

Idem aduersarius non rei interfuisse, sed oppignerata in crastinum fide scribitur consulto periculum detrectasse.

Plura etiam Macarij facta, & dicta Monachis salutaria reperies apud Scriptores, quæ nescias huic Aegyptio, an alteri Alexandrino ascribas.

De Flamine Gentilium a quodam Macarij discipulo conuicijs lacessito, sed vlto abunde iniuriam, & mansuetudine Macarij ad Christi fidem perducto, historia est, quam nescis vtri potius consignes.

Item de expilatore ipsius cellulæ, cui idem res ablatas, vt tutus exportaret, presto fuit.

Refertur a Gennadio inter Ecclesiasticos scriptores, cuius etiam extat in Bibliotheca veterum Patrum Epistola ad Iuniores Monachos. Circumferuntur etiam ipsius nomine Homiliæ plures, sed quæ censura indigeant. Consule de his Indicem expurg. Romæ editum in Macario.





Alter Alexandrinus erat MACHARIVS: *illi*
Sanctorum ſtudio diſcere geſta fuit.

Atq; duos reperit vitrei prope fluminiſ vndam
Inter ſilueſtres tuto habitare feras.

24

MACARIVS
ALEXANDRINVS.



RODIIT ex eadem Schola Antonij alter Macarius titulo confessionis, & exilij gloria æque conspicuus, quem ea ætas, vt ab Ægyptio dirimeret, Alexandrinum dixit, & Scriptores quidam Vrbanum appellarunt ab insita comitate, & lepore orationis, quibus citra quandam Ægyptij seueritatem animos discipulorum sibi deuinxit, & ad diuina studia prouexit. Iam olim Arianorum improbitate coactus fuerat solum vertere, & in prorogandа apud insulanos fide, vt diximus, strenuam operam alteri Macario nauauerat. Postliminio Celliæ Eremum reuisens, vbi diu Monachus militauerat, & Sacerdos prefuerat, sueta officia repetijt. Sed viro eximiæ sanctitatis, & gloria miraculorum ceteris Anacoretis miraculo, non hic ad imaginem titulus, sed volumen, cui etiam plures insudarent Scriptores, minus esset. Nos pro vsu pauca, selectaque. Ipse cælestem gloriam adeptus, & vbique mortalium clarissimus vota pro penso accipiet. Quamuis inter primordia sanctæ austeritatis gulæ tyrannidem cibi parcitate euertisset, tamen excitus fama Monachorum Tabennesiotarum, qui quadragesimæ ieiunium crudis agebant, septennium coctis abstinuit. Postea his multo parcius tres annos victitauit; nam singulis diebus quinquncem panis, & aquæ tantillum adhibuit. Neque tamen acri ieiunio luxuriam adeo protriuit, vt illam tum fomitem fragilitatis, tum stimulum superbiæ non pateretur. Porro sibi infensus, vt sæuioribus aculeis carnis stimulos retunderet, hanc viam ad victoriam iniuit. In Scythi Eremo Celliæ proxima palus erat vliginosa, & arundinum ferax, quæ culices alebat grandiores, etiam aprorum cutem aculeo traijcientes. Hanc Macarius cum libidine luctaturus palestram subijt, in qua nudus, sedensque anni fere dimidium permansit, ita culicum sæuitia pustulatus, vt leprosis deformior humanam pene formam exueret, atque ad cellulam reuertens vno tantum vocis sono posset a discipulis cognosci. Eundem cominus cum hoste dimicandi cupidum voluntas cœpit quærendi inter deuias solitudines sepulcrum Iannis, & Mambres Magorum olim Pharaonum gratia potentium, quod ferebantur sibi construxisse in secessu peramœno, sed cōgestis thesauris, & assidua Dæmonum custodia hominibus inaccessum. Inuium iter erat, & immanis vbique solitudo. Macarius noctu nautarum more stellam sibi du- *Sozo. li. 3. cap. 13.*

cem

cem itineris ſtatuens, in ſabuloſa regione ad ſingula milliaria calamos defigebat, qui ſpatium, & reditum indicarent. Nono cœpti itineris die, poſtquam paululum obdormiuit, collectos in faſcem calamos, quos ſingulos fixerat, ad caput reperit. Facti altera eſt opinio. Vel Dæmonem eos euulſiſſe, vt Macarium errore viarum implicaret; vel Deum permiſiſſe, vt magis diuinæ prouidentiæ, quam humano ingenio fideret. Paululum a ſepulcro aberat, quando Geniorum legio deformi ſpecie, armis, & vocibus minitabunda in virum Dei exiluit. Ipſe rictus horribiles, & minas ſubridens, ocioſe locum, tumulumque perluſtrauit. Pręter ingens ædificium, & aurea quædam dona, nihil ibi ſpectabatur pręclarius, quam cadus aeneus nexu ferreo pendens e margine putei, & mala quædam punica Sole arefacta. Deſpecto igitur cum fama ſua monumento Macarius diſceſſit. Sed viatico carere iam cœperat, & feſſus itinere, ac ieiunio labaſci, cum ab inani quodam ſpectro in aliquam ſpē erectus eſt. Non vltra ſtadium puella videbatur albo amicta vrceum tenere, & Macarium inſequentem ad potum inuitare, ſed quamuis hic celeriorem greſſum intenderet, ea tamen ſemper ſtadij interuallo aberat, donec euaneſcens ſpem Macarij ſecum rapuit. Verum liberaliorem eo ſpectro ſe prębuit grex agreſtium Bubalarum, qui puellæ illuſioni ſucceſſit: nam quædam recens effœta coram Macario ſubſtitit vbere affluente. Cœleſtis etiam vox fuit, vt ſtantis vbera exſugeret. itaque ad vbera liberaliter admiſſus lac abunde bibit, eamque proprij fœtus oblitam vlterius vſque ad Celliam altricem, & comitem habuit. Diſpar huic feræ altera viro maleficium intulit, ac recepit. Puteus fodiebatur appoſita margini vi ſarmentorum, quæ lapſum telluris egeſtæ prohiberent. Inter ea Aſpis latebat, quæ inter opus admotam Macarij manum morſu valido perſtrinxit. Vulnus a veneno cunctis mortiferum nihil prohibuit, quin ille inoffenſus anguem manu diſcerperet. Attamen quamuis clara adeo prodigia haberentur apud ceteros pignora perfectionis, ipſe tamē proprijs meritis diffidens maiores adhuc auſteritatis, & macerationis cauſſas quæſiuit. Fama olim acceptam virtutem Tabenneſiotarum voluit coram experiri. Ea propter reiecto cucullo famulari veſte amicitur, pergit, & Pachomium Archimandritam precatur, vt ſe ſe inter Monachos recipiat. Excellebat Pachomius pręter ſanctimoniam etiam ſingulari prophetiæ dono, ſed diuino permiſſu tunc Macarij arcanum non eſt aſſecutus. Ergo labentem ætatem, & corpus imbecillum intuitus, vt ab eo deſiderium auerteret intempeſtiuæ aſperitatis, obtrudebat arctam, & pręruptam religionis ſemitam, quam ſtatim a conſpectu refugeret. Hic tamen precari, vt in ſemitam admittatur, numquā ab ea pedem relaturus. Hinc prece, inde excuſatione certatum eſt tota hebdomade, quam Pachomius ieiune actam ab eo ſentiens accepit omen futuræ virtutis, ac firmitatis, & Monachorum conſulto Senem

inter

inter Tyrones locum habere iussit. Quod veteranorum Dux inter Tyrones opus pretermitteret? Aduenit quadragesimale ieiunium, quod singuli crudo,& parciore victu celebrabant. Perfectiores pauxillum cibũ ad vesperam sumere,alij post biduum, alij ad quintum diem. Ipse ad opus textorium madefactis palmarum folijs stans in angulo,non humano cibo, neque aquæ potu vsus est, preter quam folijs Crambes,& his parce admodum,nec citra Dominicam diem. Ita ieiunium vsque ad Sanctum Pascha strenue toleratum. Sed exemplum tanti laboris, & inediæ, quod ceteros debuerat ad æmulationem prouocare,potius in seditionem vertit; ac si Abbas ferreum hominem admisisset,qui eorum fragilitati cõuicium faceret. Quis mortalium,inquiunt, iugiter stans, orans, ac laborans, non somno, non sede, non cibo indigeat? Quid robur in homine ætatis occiduæ,vt ieiunium, & vigilias indefessus contemnat? Pachomius idem anxius suspicabatur,Senem altioris esse virtutis, quam ex aspectu conijci posset: ideoque Deum supplex orabat, vt hospitis sibi conditionem reuelaret. Accepit diuinitus, hunc Macarium Alexandrinum esse non obscuræ famæ, & sanctitatis virum. Itaque Senem amplexus appellat ex nomine, queritur voluisse sic amicos latere, vt parum ab iniuria abfuisset. Ille non inficiari,se Macarium esse, sed negare vllis petitum iniurijs,immo adiutum exemplo eorum virtutis, quam rumore dispersam, fama nobiliorem compererat. Ita seditio in admirationem conuersa. Adijciam & rerum abditarum perspectionem? Presbyteri cuiusdam caput Cancer, atrox morbus,horribili ipsius dolore,& nausea intuentium rodebat. Et cum salutem impetratum ad Macarium venisset,seuero admodum consilio ab illo repellebatur. Discipuli immanitatem vlceris, & spectaculi fœditatem miserati pro viro apud Senem precibus laborabant. Quibus ille,inquit: Presbyter sibi malum consciuit,qui turpi mulierum commercio pollutus, ausus fuit Sacris ministerijs perfungi. Huic ego recuperandæ salutis conditiones do. Perpetuo se Sacris altaribus abdicet, & cum populo diuina mysteria suscipiat. Ille occulti sceleris turpitudinem confessus, dolensque, abdicationem pollicetur, & Macarij manu tactus incipit ab horribili morbo cõualescere, mox capillitio donatur,quod super exesam cutem prodigiose creuit. Sed hominibus prestita beneficia sileant, dum bestijs eadem collata narramus, licet interdum serie rerum,ac temporum subuersa. Leæna catulum ferens impulso cellulæ ostio ad Senem ingreditur. Fœtum ad pedes sedentis proijcit, nutibus,& rugitu opem deposcit. Pater in catulo luminis orbitatem noscens, oculos saliua linit, & ab oratione surgens prorsus ab eo cæcitatem dispulit. Fera illuminatum fœtum vberibus admouet,inde arreptum cellula exportat. Crastina rediens affert munus,ouinam pellem ceteris ampliorem, qua Macario grates exsoluat; eamque rictu ad lætitiam composito, & cum gemitu

Pallad. num. 20.

Q offert.

offert. Macarius vero donum ex alieno grege raptum reijcere; Leæna submisso corpore reptans ad pedes reponere, eiulare, dolere munus reiectum, donec Senex dixit, accipere se munus, si deinceps a gregum infestatione temperaret. Illa, nutu capitis visa conditiones accipere, extemplo abscessit. Sed pellem ipsam eximij miraculi monumentum a Macario acceptam Athanasius Antistes Alexandrinus tanti fecit, vt eam Melaniæ nobilissimæ mulieri donum daret, inter præcipua religiosæ domus ornamenta spectandam, qua belluinam quisque gratitudinem commendans, humanam amplius ingratitudinem detestaretur.

NOTÆ.



TIAM Alexandrinus hic recensetur inter Sanctos 4. Nonas Ianuarij.

Insignis de eo passim mentio est apud veteres.

Elogium maxime constat ex his, quæ referuntur ab Euagrio cap. 29. quibus vberiora subdit Palladius num. 20. Sed Sozomenus, & Niceph. hunc Alexandrinum confundunt minus scite cum altero Macario cognomento homicida, cuius etiam seiunctim ab his meminit Pallad. titulo Macarij iunioris num. 17. Quem errorem optime recognouit Baronius in notis ad Rom. Martyrolog.

Prodigium Leunculi ab eo illuminati tradit Ruffinus, sed differt ab eo Pallad. dum catulum eundem Hyenæ appellat, interprete Gentiano Herueto, & feram ipsam Hyenam dicit.

Nosti lector animal subdole atrox, quod noctu hominum voces ementitur, vt ædibus eductos necet, voretque.

Ab hoc Macario differre illum putamus, quem vitiata a quodam amatore puella, cum falso stupri insimulasset, coacta fuit in enitendo fœtu innocentem, ac Sanctum confiteri. Quibus ille præconijs vanam gloriam timens loco aufugit, & in Scythim venit. Vitasp. par. 2. cap. 95.

Alter etiam ille habetur, ac fortassis Euagrij discipulus, cui Ruffinus Aquileiensis præfationem ad libros Περὶ ἀρχῶν, *inscribit.*



Magnus ANVB pietate fuit, cœlestia puræ
Contemplans oculo mentis, amansq; Dei.

Cui crebrò apparens diuina potentia, verum
Sectari verum semper amare iubet.

ANVBIS ÆGYPTIVS.



HABENT temporum calamitates, vt rebus perditissimis virtus plurimorum maxime illucescat. Sic inter bellorum tumultus copia militum, ac triumphi spectantur Imperatorum, qui tranquilliori sęculo togati, priuatique consceneścerent. Sic sæuiente perfidia illustratur eorum fides, quos Gentilium furor, aut hæreticorum odium afflixerit. Incertum est, num Anubis hic aduersus Idololatras, an Arianos illis deteriores steterit pro fide Orthodoxa. Constat tamen eius ætate ab vtrisque illatam Christi Ecclesiæ persecutionem, & hunc inuictum perstitisse multa gloria, & religiosæ virtutis incremento. Nam oblato semel corpore cruciatibus, cum veritati testimonium reddidisset, numquam postea ab ea deflexit, vt mendacium, vel in re leuissima diceret, quod etiam de eo Scriptores meminerunt. Sed quæ dona cœlitus receperit, quam familiariter Sanctis Angelis vsus fuerit, & quibus actibus initum semel Martyrij decus honestauerit, delectabit audire ex ore ipsius, cum extra omnem iactantiæ suspicionem euictus precibus quorundam Patrum, ea occasione ipse de se disseruit. Sirus, Esaias, & Paulus summæ religionis, & abstinentiæ viri, seiunctis consilijs e diuersa regione veniebant, vt Anubim inuiserent. Flumen, quod cœptum iter pręcidebat, lembo carens transitorio ad ripam omnes coniunxit. Propterea salute inuicem dicta, ac repetita, itineris caussam quisque sciscitatur. Vbi se Anubis desiderio profectos singuli fassi sunt, id prodigiosæ acceptum est, creditumque aliquo diuinæ prouidentiæ arcano contingere. Sed quia Senis domicilium tridui iter aberat, nec cimba videbatur, qua flumen transmitterent, alteri ad Sirum versi rogant, vt a Deo nauigium deposcat. Is officium orationis non detrectare, si ambo comprecatores accedant. Pulchre adeo oratum est, vt ad finem orationis nauigium appelleret nullo remige, sed forma celeri expeditaque. Vbi Patres conscenderunt, lembus aduerso flumine sponte actus, triduanum iter hora vna expleuit. Hoc Siri precibus datum. Alijs prodigijs comites donati. Esaias naui exiliens inquit, Domino reuelante didici, Anubim hac ipsa via nobis occursurum, & conscium secretorum cuiusq; nostrum de his palam acturum. Subiecit Paulus. Ego item diuinitus accepi, illum postridie ex humanis decessurum. Proh sæculi felicitatem, quod in vrbibus agmina Sanctorum Antistitum, in Eremo Sanctorum Prophetarum turmas aspexit miraculorum, & pręsagiorum gratia inclytos. Nihil ex his vates fefellit.

fellit. Obuius Anubis veniens dixit, aduentum eorum sibi ante fuiſſe reuelatum, & exoptaſſe eos coram excipere, quos animo abſentes cœperat adamare. Etiam quibus ſinguli pollerent virtutibus, quibus meritis ad æternam felicitatem contenderent, iuxta eorum vaticinium, aperuit. Cui Paulus. Qui tibi noſtra hæc ſecreta detexit, idem nobis indicauit, te poſt triduum ex tenebroſa hac humanarum ſolicitudinum eluuione ad perennem quietem, & claritatem migraturum. Igitur qui Regnum cœleſte proxime ſpectas, & metam laborum prope attingis, nos edoce, quibus auxilijs periculoſam vitæ huius viam decurriſti. Nullum eſt, quod metuas inanis gloriæ, vel iactantiæ periculum, ſi noſtris precibus, & Chriſtianæ charitati fauens, vitam probe actam, poſteritati incitamentum tranſmiſeris. Flexit Anubim mentio charitatis, vt breui totius vitæ epilogo totum ſeſe effunderet. Inquit. Poſtquam fidei poſtulatus veritati teſtimonium reddidi, omni prorſus mendacio abſtinui. Nihil mala cupiditate ambiui. Victum, ſi quando loci ſterilitas negauit, e Cœlo accepi. Cum notitia rerum, quæ in terris geruntur, etiam lumine donatus ſum, quod diſcuſſo torpore mentem Deo vigilem intendit. Solitudinem crebra Angelorum viſione, & colloquio alacer tuli, eoſque ad virtutem ſtimulos, ac pręceptores habui. Nihil eorum, quæ poſtulaui, Deus irritum fecit. In extaſim raptus vidi agmina Angelorum erga maieſtatem ſupremi Numinis, & ineffabile Deitatis myſterium venerabunda. Purpuratos Martyrum choros, & albentes cohortes Monachorum, atque legiones omnium iuſtorum aſpexi laudibus ſui conditoris addictas. Prętereа Satanam perfide, ac ſuo malo ſuperbum, & rebelles ſecum Angelos vidi æternis incendijs damnatos, & ad profundas terræ latebras relegatos ibidem cruciari, collętantibus iuſtis vltam ſic veterem eorum perfidiam, & recens odium, quo humanum genus inſectantur. Triduum, quod vitæ Anubis terminus erat, iucunda Patres collatione de diuinis rebus peregerunt. Ipſe ſtatuta hora a vinculis huius vitæ placida morte exſolutus, ſub aſpectu Patrum inter choros Martyrum, & Monachorum ſuſceptus in Cœlum abijt.

NOTÆ.



B Euagrio cap. 10. & Palladio num. 58. Anuph appellatur.

Sozomenus, qui illum inter vetustiores Aegypti Patres commemorat, & ex auditu refert, quæ de eo Euagrius item scripsit, Acuph dicit, lib. 7. cap. 13.

A Nicephoro Anub nuncupatur lib. 9. cap. 14.

Nos libentius huic assentimus, qui Anubim priscum illius populi Numen legimus, credimusque talium nomina in familijs coaptata, tunc in religionis signum viguisse, postea apud Christianos retenta in triumphum esse subactæ Gentilitatis.





Et ſi non paucis CHRONION *foret obſitus annis,*
Atq; pium premeret tarda ſenecta virum,
Ad diuina tamen, reliquis non ſegnior, ibat
Officia, et ſacra creber in æde fuit.

CHRONION PHOENICEVS.



QVO hic curuam centum ac decem annorum senectam trahit? Num illa ætas aeneos homines tulit, quos neque ieiunia, neque labores frangerent? An rerum inopia, & victus asperitas Eremo familiares, adeo Sanctorum membra durauerant, vt exemplo Ponticarum Anatum, quæ ab assueto pabulo ad venenata alimenta traductæ, his deinceps innocuæ victitant, ipsi quoque austeritatem experti, arbitrabantur nihil sibi commodum esse ad futuræ vitæ felicitatem preterquam vitæ huius incommoda? Scimus tenacissimum esse vinculum diuturni vsus, & hominis ingenium sensim sui oblitum aduersis prorsus studijs illigari; presertim si religione tactum, ac spe diuinorum munerum impellatur. Sic facile crediderim potuisse Chronionem fractam ætatem antiquis studijs aptare, & in optimo vsu vel viribus impotentem, inuicto tamen animo persistere. Nonne hospes illum vides proximum templum petere? Illic senectutis solatium, vitæ spes, & sepulcrum. Olim sub Antonio Anacoreticam vitam eruditus per ipsa incessit sui institutoris vestigia ad apicem perfectionis, etiam Antonij ætatem quinquennio supergressus. Itaque acceptam sub tanto Agonotheta disciplinam, & secunda fama ad extremam vsque senectutem exercitam, quantis oportuit prodigijs enituisse? Verum silentio scriptorum ea nos pretereunt, qui arbitrati vniuersa animi ornamenta posse complecti, si vnius tantum virtutis meminissent, illum profundæ humilitatis titulo extulerunt. Probe: vt e quadrata basi metiaris reliquam spiritalis ædificij molem, eamque fundamentis concordem cognoscas hominum, temporum, ac vitiorum motibus inconcussam restitisse. Chronioni *Num. 25.* etiam preclara quædam Palladius ascribit consona ætati eius, ac virtuti; nisi alter extitit eiusdem nominis, quod ambigo. Prodit auctor, hunc prognatum esse e Vico, cui nomen Phœnix, & progressum vlterius in solitudinem decimum milliarium fodisse puteum salubrem admodum (rem inter bibulas arenas prodigiosam); cui postquam domicilium adiecit, Deum precatus est, ne inde aliquando ad frequentiora loca abduceretur. Postquam in celebrem opinionem sanctitatis apud omnes creuit, conuolantibus illuc multis institutorum ipsius studiosis cellula in Monasterium emersit, in quo trecenti fere discipuli numerabantur. Et quia Religionis precepta oportebat Sacrosancto Mysteriorum vsu foueri, idem Sacerdotio insignitus est, quo perfunctus annos sexaginta extremum diem, vt vixerat Sanctissime obijt. De eodem Palladium habeo auctorem, quod post initam Presbyteri dignitatem numquam

Eremo discesserit, nec cibum sumpserit, quem sibi labore manuum non parauisset.

NOTÆ.


N tabellis Sadelerianis perperam inscribitur Ciomus, cum nullus eius nominis extiterit inter Anacoretas.

Cronius dicitur ab Euagrio cap. 25. & Palladio num. 25. vbi Presbyter Nitriæ, & Antonij discipulus memoratur.

Idem auctor. Ab eodem preponitur historiæ Eulogij Alexandrini, & viri cuiusdam membris detruncati, quem pie alendum suscepit.

Item visionis cuiusdam admirabilis Beati Antonij, & vitæ Pauli simplicis numero 26. 27. & 28.

An idem sit cum Phœniceo, inexploratum habeo. Sed neque piaculum fuerit, res gestas amborum coniunxisse.





AMMON in Nitra ſquallentis cultor eremi,
Multiplicis fulget fons et origo boni.

Sacraq; ſparsurus pietatis ſemina, fratrum
Vndiq; ſollicito conuocat ore gregem.

27

AMON NITRIOTES.



ITRIA Eremus est quadragesimo lapide ab Ale-
xandria, & ab asceterio Magni Antonij abiuncta
itinere trium dierum, sed proxima Vico, qui nitri Euag c.21
admodum ferax, ipsi nomen communicauit. Lo-
cus extra hominum frequentiam æstu squalet atro-
ciore, & aquæ penuria laborat; neque incolas pa-
titur pręter Eremitas, qui horrida ambiunt. For-
san, & nitrum, cuius est sordes detergere, simbolum
extitit futuri illic postea lauacri, quo sordes crimi-
num acri pœnitentia abluerentur. Hanc omnium athletarum primus pene-
trasse Amon memoratur, qui morum humilitate, & miraculorum gloria ibi- Cassian.
dem profunda iecit fundamenta Monachalis obseruantiæ, eamque intra cel- Collat.21.
lulæ limen cœptam ad quinquaginta monasteria transfudit, quæ in eadem
Eremo sub Amone constructa auctores non obscuri nominis produnt. Sed
occasio, quæ illum ab ædibus, & commodis vitæ mitioris transtulit in nudam Sozom. li.
regionem, adeo insignis fuit, vt operępręcium sit eamdem altius repetere. 6.cap.31.
Nobilis generis adolescens, cum natus annos duos & viginti, parentes fato Niceph.li.
amisisset, Patruo adhæsit, qui ipsius coniugio restitui labentem domum per- 11.ca.38.
optabat. Familiæ splendori, & ætati ipsius, ætas, & nobilitas respondebant
puellæ, quæ vxor spondebatur. Et quamuis auerso animo coniugium iniret,
tamen ne palam reniti Patrui consilijs crederetur, patrio more passus est co-
rollis redimi, & in thalamo sedens affines, amicosque gratulantes excipere,
atque demum remotis arbitris secreta adire nuptiarum. Sponsa aderat vir-
ginalem pudorem, quem sexus, & generis modestia tueri solet, non vltro di-
missura. Fortassis inde occasionem Amon sumpsit, vt coniugi ostenderet ma-
ximum esse virginitatis dispendium, minimam sobolis necessitatem, atque ex
carnali commercio nihil pręter turpem, ac momẽtaneam voluptatem, quam
hominem pudeat, cum bestijs communem habere. Quanto nobilius, ac bea-
tius ageretur, si vterque integram mentem, & incorruptum corpus Deo voue-
ret? Num propterea humanum genus desiturum, vel hæredes, qui conge-
stas amborum opes diripiant, & defunctorum memoriæ detrahant? Tanta
ne liberorum necessitas, vt certa virginitatis iactura, & incerta spe procreandi,
dare his operam velint, qui si enascantur sæpe genitores oderint, affligant, &
familiæ dilapidatione cogant miseram senectam traducere? Esto quod frugi
nascantur, parentes ament, atque domesticæ rei studeant; tamen quando
parentũ animi vacabunt solicitudine ne ab alijs lædantur, vel ipsi alios laces-
sant? Quot nex, vel acerba mors filiorum parentes confecit? Fecunditate

longe

longe felicior ſterilitas, ſi liberorum loco virtutes optet. Caſtitatis remunerator Deus eſt, merces Cœlum, cuius gloriam numquam interituram nequit homo ſatis pro excellentia conijcere. Itaque ſi huc reſpiciant non votis ſubſidia, non factis mercedem defuturam. Etiam libellum e ſinu proferens ſententijs Sanctorum Patrum virginitatis merito fidem ſtruxit. Mira facundiæ vis. Puella ſuapte ſponte in pudicitiam prona incitante marito ſanctius virginitatem vouet, etiam pudici thori arcanum nunquam euulgatura. Prudenti conſilio condictum eſt, vt ijſdem ædibus, ſed lectulis ſeiunctis viueretur. Ita conſtantia apud propinquos nuptiarum opinione, duo de viginti annos pudice, ac religioſe conuixerunt. Dæmonis inuidiam ob coniugum continentiam, & deſpectas ab adoleſcentia libidinum faces, hoſpes meditare, atque tentationes, & artes conijce, quibus ille ſtuduit ex occaſione contubernij ambos in mutuos amplexus prouocare. Hos iure matrimonij, ætatis, ac formæ licitos ſub eodem tecto quis effugeret? Propterea bellum ceteris acrius etiam nobiliorem triumphum dedit. Menſa communis erat, nox ſingulos ad orationem diſpertiebat. Ille, vt ocioſas cogitationes propulſaret, ſummo mane hortulum adibat, & Balſameto, quod illius regionis delitium laborioſe colitur, diurnum opus impendebat. Hæc rem familiarem curare, oratione, & pijs operibus diem inſumere. Poſtremo ne tantum facinus lateret, ſed exemplo alijs prodeſſet, Vxor Amonem rogat, vt ſeorſum ambo viuerent, & ſui generis quiſque aſſeclas Deo famulaturos inſtitueret. Amon, cui nihil potuiſſet optatius contingere, commendata coniugis voluntate paternas ædes, & fortunas eidem dimittit, & in montem Nitriæ ſecedit, vbi deinceps duobus extructis ſibi manſiunculis auſtere, & ſancte vixit. Vxor etiam diuino cultui, ac propriæ ſaluti conſultum volens, Ædes in Cœnobium conuertit, & aggregatis eo virginibus ſanctum pudicitiæ, & religionis propoſitum late propagauit. Neque tamen ſeiunctos adeo preteriuit coniugalis dilectio, vt ſaltem bis in anno ille conſortem non reuiſeret, & de communi profectu gratularetur. Verum quæ prodigia Amonis in Nitriæ Eremo? Pudicum repudium ſecuta ſanctitas quemadmodum innumeros Seni diſcipulos adiecit, ita populos ægritudine aliqua laborantes ſæpius pertraxit. Inter eos quidam iuuenis morſu rabidi canis in rabiem verſus ſeſe miſerrime dilacerabat. Parentes catenis vinctum, vt conſtrictæ manus ceteris membris parcerent, ad Amonem ducunt, & ſupplices afflicti adoleſcentis ſalutem ab eo depoſcunt. Quibus ille. Non ea precum mearum apud Deum efficacia, neque virtus humilitatis eſt, vt morbo ipſius apte mederi poſſim: veſtræ id iuſtitiæ, & manibus debetur, neque remedia veſtra perditum ibunt, ſi viduæ mulieri bouem reddetis, quem furto abactum occidiſtis. Pudor ingens ex crimine ſecretiſſimo homines ſuffudit, neque in re ſubita quicquam ad excuſationem allatum

eſt

est,accusante rubore, & conscientia. Vnum in maxima perturbatione solatium,quod boue reddito,cessaret rabies adolescentis. Statim, ac bos alter mulieri traditus est,orante Amone rabies abscessit. Alij quidam officij caussa virum Dei adeuntes, pollicebantur sese pro virili curaturos quicquid pro vitæ vsu iuberet. Horum alter apprime auarus, vt procacius ad promissa id genus est, etiam comite liberalius sese exhibebat. Amon dixit,vnicam rem sibi per necessariam,dolium quo imbres exciperet in vsum peregrinorum. Promissum est. Vbi in Vicum descenderunt,auarus comitem intuitus, alter inquit dolium ferat,nam Camelum amo, & si dolio submittam,timeo ne pondere pressus intereat. Cui comes,Camelis careo,sed Asino feram. Itaque dolium, quod ille censebat Cameli viribus longe maius, Asello imponens ad Senem in montem vehit. Ipse obuius aduentabat,& iumenti vires,ductorisque studium commendans ait;tu integro Asello dolium attulisti, sed comitis tui Camelus Luporum cibus interijt. Ita rediens ille comperit accidisse. Alterum est prodigium aeris ambigo, an fluminis. Peruenerat aliquando ad Lycum fluuium, quem Nili fossam alibi diximus naui transmitti consueuisse. Nauis aberat,atque nudato ad aquæ altitudinem corpore vadare oportebat. Patres modestiæ tenaciores etiam seipsos nudos intueri nefas putabant, cuius rei extant plura exempla. Theodorus comes,& præ ceteris alumnis Seni acceptus, sibi seorsum vestes detrahere; hic vel nudum crus erubescere, & summo animi cruciatu futuram mox nuditatem cogitare. Dum Sanctus, ita secum luctatur, sublatum se videt per aerem ad vlteriorem ripam fluminis transferri, nullo vestimentorum madore. Expauit Theodorus celerem Senis traiectum, & cum pedes siccos, & nullas in vestibus aquæ guttas cerneret, aliquod in ea re portentum existimauit. In hanc opinionem geminatis precibus Senem aggressus,facti veritatem ab eo extorsit,sed periurij pœna sibi ab eodem indicta, si diuinum opus ante obitum suum cuiquã proderet. Amoni etiam cum Antonio vetus intercessit familiaritas,quæ virtute parta, & mutuis officijs exculta, post obitum etiam claruit. Amon ipse sexagesimo secundo ætatis suæ anno ad supernas Sedes euocatus mortem beatam appetierat. Eadem hora Antonius Cœlum suspiciens, e terris animam vidit in sublime efferri, & obuijs Angelorum turmis immixtam gloriosæ admodum in Cœlum recipi. Cupiditas animum inuasit agnoscendi beati illius exitum: & cum obnixe Deum precatus esset, ipsius dono intellexit Amonis Nitriotis eam animam extitisse, qui ab humanis ad cœlestia triumphans migrauerat. Igitur gratulatus secum plurimum collatam amico felicitatem, Monachis gloriam obitus ad exemplum aperuit,qui habita temporis ratione post exactum mensem acceperunt ab his, qui e Nitria veniebant, ea ipsa hora Amonem obdormiuisse,quo illum Antonius elatum dixerat.

Socrates. lib.4.c.18. Soz.lib.1. cap.13. Alexand. in Anton.

Athan. in Antonio.

N O-

N O T Æ.



DE Nitriæ Eremo inter ceteras Anacoretarum palestras clarissima, præter ea, quæ habentur apud Euagrium capite. 21. Palladius eam exacte describens num. 7. plurima habet cognitione apprime digna.

De eadem sæpius mentio est apud Hieronymum, Ruffinum, & alios, qui nostra ex Italia ad sacra loca Hierosolimam profecti nullatenus eam pretermissam voluerunt.

Amonis vitam Euagrius, & Palladius conscripsere; a quibus acceperunt Socrates lib. 4. cap. 18. Sozomenus lib. 1. cap. 14. & Niceph. lib. 8. cap. 41.

Eiusdem nominis alterum reperies apud ipsos auctores, qui Tabennesiotis Monachis prefuit.





Diuinis oculis pergratus ONOFRIUS, æuum
Traduxit rara ſobrietate ſuum.

Inq; cauo degens, palmarum vbi copia, monte
Herbarum paſtu depulit eſuriem.

28

ONVPHRIVS ÆGYPTIVS.



OBSCVRVM genus Onuphrij, & adoleſcentia nihil detrahunt triumphali ipſius ſenectæ, & vitæ claritudini, qua viſus eſt ad Angelorum integritatem tanto propius acceſſiſſe, quanto ab humanis deſiderijs abſceſſit. Namque certior laus eſt, quam finis operis aſſequitur ea, quam initia pollicentur. Sic ab infauſta Aurora atrum diem contingit albo calculo deſignari, ſi felici veſpere claudatur, & viros alias improbos egregio aliquo facinore, aut honeſtiore mortis genere laudari. Intuere hoſpes Senem occultantem corporis verenda frondeo ſemicintio, cetera barbæ, & capillorum defluxu veſtientem, vnde ætatem, & vitæ aſperitatem agnoſcas. En coxas, ſuraſque inedia exiles, æſtu, & gelu rigentes, æreo colore obductas, qualem ſpeciem referant inter vndantes canos immixti æris argento. Felix, qui ex eo metallo, quod virtus conflauit, ſibi ſtatuam erexit nulla temporum iniuria, nullo hoſtium liuore deicienda. Cogita hunc ſexaginta annorum ſpatio inter deſertas arenas ſeipſum cruciantem, neminem vmquam mortalium conſpexiſſe, conijcies profecto illum mundi huius victorem Cœli muros obſidere voluiſſe, & ne viuens illo potiretur, obſtitiſſe corporis pondus, non virtutes. Olim apud Hermopolim in Cœnobio religioni nomen dederat, in quo centum fere Monachi conuiuebant. Ipſe voti perſolutor multum vitæ perfectioris ſpem dare, iuſſis maiorum obtemperans; & auide recondens animo, quæ de profectu religionis dicerentur. Accidit igitur, vt inter eos ſermo haberetur de Anacoreſi, quæ ab Helia Prophetarum clariſſimo exercita, mox a Ioanne Pręcurſore repetita, dicebatur duces ſuos habuiſſe Deo coniunctiſſimos, eaque tempeſtate excellere tanto Patrum numero, & ſanctitate, vt quandam pene caliginem induceret Cœnobiticæ. Pro qua, licet in medium afferretur obedientiæ iugum, & ſubmiſſa alterius arbitrio libertas, qua nihil optatius nobiliuſue homini datum eſt; atque ſpontanea huius abdicatione æquaretur meritum ſolitudinis; tamen hæc poſteriori loco audiebantur. Exemplum pro Anacoreſi e militia deſumebatur, in qua ſingulare certamen quibuſdam antecellere ſtatariam pugnam ideo videbatur, quia Cœnobitæ Legionarij mutuo aſpectu, & ſubſidijs nixi, minori periculo confligerent; & in aduerſis rebus, ægritudine præſertim, ſolatia inuicem exhiberent: Sed Anacoretas omnia incrementa ſua ſibi debere, qui palam aduerſus Dæmones, clam aduerſus cupiditates, ſoli, ſuoque brachio dimicantes, nullius ope, conſilijs, vel aſpectu

iuuarentur, prĕterquam vna Dei benignitate, qui exoratus animum, ac vires agonistis suggereret. Num scrupeæ speluncæ cum cellulis collatio? Cibos in Eremo parandi necessitas, vbi semper incertus, aliquando nullus, & de Cœlo exspectandus. Æstus ibi, & frigoris intemperies, & exosa mortalibus semper solitudo. His omnibus vna obijciebatur libertas etiam in extrema omnium rerum egestate sibi imperans, & dicto nullius obnoxia voluntas, cui longe grauius est in omni rerum affluxu seruire, quam in re afflictissima imperare. Dicebantur etiam hi tātum sibi ipsis viuere, & nihilo proximum iuuare, cum illi tamquam lucernæ super montes, hi sub modio elucerent; illi exemplo, doctrina, & apud Deum precibus, hi tantum precibus possent ceteris prodesse. Attamen Onuphrij animum ita Anacoresis inuasit cupido, vt re ipsa statuerit experiri, cur eam libentius celebres viri appeterent. Itaque noctu Cœnobium egressus recta in solitudinem contendit. Iam sibi visus abesse satis a Monasterio cogitabat sedes defigere, quādo ante eum repente obortum immane lumen oculos, & animum perstrinxit. Omen id acceptum male auspicati itineris, seu vindicta deserti instituti, Onuphrium reduxisset, nisi cœlestis vox ex eodem lumine in hæc verba erupisset. Angelus ego sum custos tibi a natiuitate, qui iubeor tecum in desertum descendere. Cœptis insiste grauiter, neque enim religiose laboranti vmquam abero. Comite tutus, & opis diuinæ iam certus, vltra septimum milliarium pergens speluncam inuenit e forma, & cultu quippiam humani operis præseferentem. Cumque more Monachorum subclamasset, vt si quis intus esset sibi bene precaretur, Senem aspexit canicie, atq; hilari vultu decorum, qui obuium, ex nomine Onuphriū appellans, & pacis osculo excipiens, profitebatur præsciuisse longe antea ipsius aduentum, ac voluntatem. Porrò in eadem solitudine secessum ipsi a Deo paratum esse, & post tædia, & labores huius vitæ, manere in Cœlo prĕmia, quæ humanos sensus, & cupiditatem excedant. Apud illum Onuphrius dies aliquot commoratus didicit in singulari agone, qua naturæ imbecillitati, qua Dæmonum violentiæ repugnaret. Inde quatriduano itinere cum Sene ad locum quendam peruenit inter arenas desertæ regionis horridum minus. Quippe aliquot Palmæ aderant ad opus, & cibum. Inquit Senex, hunc tibi agonem Deus prĕstituit, vbi virtutes virtutibus coniungas, te ipsum subijcias, & improbum hostem pessundes, donec ad prĕmium euoles beatæ perennitatis. Ibidem cum Onuphrio totum fere mensem moratus refricuit, quæ antea dederat prĕcepta vitæ solitariæ, mox suam speluncam repetijt. Consueuit postea singulis annis Onuphrium semel reuisere, & solitario aliquod afferre solatium, quod tamē haud in multos annos prolatum est. Nam cum aliquando aduenisset, inter mutuas salutationes, & amplexus, corruens placide animam emisit. Credimus datum diuinitus ipsius charitati, vt in

sinu

ſinu diſcipuli moriens extrema conſequeretur humanitatis officia, & ſepulcro honeſtaretur. Sed quo animo dilecti Patris mortem, & ſublatum ſolatium hic acciperet? Ipſa mors ſolatium fuit, quæ funus lacrimis, & ſacris precibus componendum illuc attuliſſet, vbi nullius mœrore amplius deplorari, vel charitate curari potuiſſet. Ab obitu illius pręterea nullum hominem vidit ad annum vſque ſexageſimum, qui ſolitudinis, & laborum extremus fuit. Hoc annorum ſpatio quis audeat deſcribere conflictus, & egregias de hoſte victorias? Quis recenſeat naturæ incommoda, & victus duriciem, cum attritis veſtibus oportuerit nudo corpore nocturnas pruinas, & diurnos æſtus excipere? Nulla in deſerto fruges pręter herbas ſilueſtres, & dactylos, qui e proximo Palmeto citra ſatietatem ſumebantur. Hæc vitæ ratio, dum robuſtior ætas fuit. At ſeruo ſuo iam ſeneſcentes artus vix trahenti humaniorem cibum Ieſu Chriſti clementia contulit, Angelo ſtatuta hora panem, & aquam ferente. Adiecit etiam cœleſtia Sacramenta Corporis ſui, quæ ab eodem Angelo idem ſingulis Sabbatis, & Dominicis diebus ſuſciperet. His ſubſidijs vita in decrepitam ætatem perducta Onuphrius exitum optabat, & mens diu cœleſtium virtutum commercio delectata, cupiebat abiecto corpore his adiungi. Sed non tulit æquus remunerator, vt ipſius res, & obitus ita in obſcuro eſſent, vt virtuti memoria, honorque abrogaretur; quare pollinctorem, & Scriptorem eo incitauit, qui vtrumque munus egregie preſtitit. Paphnutius is appellabatur Monachus, & ſtudio cognoſcendi celebriores Patres deditus. Alias Eremos ea de cauſa luſtrauerat, ſed tunc vehementiori cupiditate perinde ducebatur, atque ſuſcepti laboris numquam pœniteret. Ea ſpe ſolitudinem ingreſſus poſt quatriduum exhauſto pœnu cum fame, & labore afflictari cœpiſſet, etiam tantunden itineris ieiunus confecit. At ſub animo indefeſſo miſerum viri corpus elanguit, atque iam opinabatur ſibi extrema imminere, cum repente, effuſo circa eum lumine, quidam affuit ſupra humanam ſpeciem, qui iacentem blande intuitus, & manus, ac labia demulcens, deiectas vires inſtaurauit, euanuitque. Liquet cœleſtis Genij opus extitiſſe, nam Paphnutius ieiunus, ac integer adhuc iter ſeptemdecim dierum progreſſus eſt, donec prope Onuphrij ſpelæum perueniens eundem obuium habuit capillis, & frondeo Perizomate incinctum, qualem deſcripſimus. Iccirco ſpectrum, aut monſtrum, Dei virum ſuſpicatus magis exhorruit, quia recta aduentaret, vnde in proximum collem refugiens inter frutices ſeſe condidit. Cui Sanctus, deſcende inquit Vir Dei, nam hominem cernis tui ſimilem. Vox fiduciam peperit, & ablato terrore ſpes ſubijt operę fortaſſis id precium eſſe, qu od animo olim conceperat. Poſtquam propius venerabilem vultum, & comas ætatis, & ſanctæ aſperitatis teſtes conſpexit, pronus ab eo benedictionem precabatur. Cui Senex. Iuuat ex nomine te Paphnuti appellare, nam ſcio ſolo ſtu-

lo ſtudio inquirendi Anacoretas aduenisse. Cumque repetitis ſalutationibus conſederent, rogabat hic Senem, vt vitæ illic ſuæ rationem, & labores exantlatos enarraret, vnde exemplum ſibi, & ceteris ſumeret. Cui Pater obtemperans humillime de ſeipſo retexuit, quæ nos ſupra digeſſimus. Inde vlterius ad tertium fere milliarium, vbi ſpecus, & Palmæ erant, progreſſi, ſacris colloquijs iucundiſſime ad veſperam vſque recreati ſunt; & quia Senex hoſpitem ieiunum, ac feſſum nouerat, cœnam appoſuit. Aderat panis, & aqua non e frugibus, vel arenis peruſtæ regionis, ſed Angeli miniſterio allata. Hiſce poſt aliquã charitatis altercationem, quia alter ſine altero veſci nollet, ambo refecti, noctem fere totam orantes peregerunt. Mane poſtquam Deo ſuetos hymnos cecinerunt, Paphnutius vidit vultum Senis pallore ſuffuſum, qualis in moribundis cernitur, dixitque ſatin ſalue? Cui ille. Ne moleſte pallorem meum accipias. Te Deus huc direxit, vt mihi adſis morienti. En carnis viam ingredior homini, ac beſtijs æque horribilem, mihi neceſſariam, vt ad æternam requiem ea accedam, illic apud omnium conditorem lubens pro his interceſſurus, qui opem meam implorauerint. Sacrificia, preces, aut eleémoſinas eorum vbique comprecator iuuabo, & aduerſus hoſtium nequitiam hic robur, illic prẹmia his depoſcam. Tu in Ægyptum redi, ſacris adeſto inſtitutis, etiam minimi laboris mercedem in Cœlo ampliſſimam recepturus. His dictis e ſede ſurrexit, rectus, & lacrimans aliquantulum orauit, mox in genua procumbens ait, in manus tuas domine commendo ſpiritum meum, & beatam animam efflauit. Eluxit vultus morientis extemplo ſplendore admirabili, & audita ſunt agmina Sanctorum Angelorum alacri concentu beati Senis triumphum gratulari. Paphnutius vbi lacrimis, & Pſalmis iuſta perſoluit, cum ad amiciendum corpus nihil prẹter pallium haberet, ſcidit, & dimidio altero obuolutum tumulo condidit. Sed quamuis teſtamento imperatus eſſet Ægyptum repetere, tamen loci opportunitate, & Beati Onuphrij memoria illectus, cogitare paulatim cœpit ſpeluncam ſibi, ac Palmetum retinere, & Anacoreſis ibi ſtudia ſequi. Verum longe diſpar humanis conſilijs diuina res erat. Dum ea ancipiti animo voluit, antrum, & Palmæ radicitus euulſæ immani fragore procubuerunt. Oſtendit eorum ruina indictam reditus neceſſitatem, abijtque Paphnutius, ſi non heres ſpeluncæ, ſaltem teſtis eximiæ virtutis Onuphrij, cuius poſtea famam inter Monachos ſermone, & apud exteros ſcripto vbique glorioſam, auctor non inglorius, euulgauit.

NOTÆ.



RAETER historiam, quã de Onuphrij rebus edidit Paphnutius hic Cœnobita inter vitas Patrum libro ſecundo, nullam pene mentionem reperies de eo apud veteres.

Egregia tamen illius eſt memoria in Romano Martyrologio, quem etiam inter Sanctos veneratur Eccleſia pridie Idus Iunij. Agunt etiam de eo Græci in Menologio, vt notauit Baronius.

De Anacoreſi autem, & Cœnobitica, de quibus adſtante Onuphrio olim diſceptari contigit, & in elogio pauca quædam recenſa ſunt, nobilis extat quæſtio apud Ioannem Caſſianum collatione 19. cap. 5. vſque ad extremum coll.





Jn nemore inculto, rigidi prope litora ponti,
Sacrifici partes officiosus agens.

Distribuit socijs sacra ter veneranda PIAMON,
Quo docuit Christus distribuenda modo.

PIAMON DIOLCENVS.



PIAMONI ſtudium veræ humilitatis dedit, vt aſtantes Sacris altaribus Angelos intueretur, & accedentium ad ea Monachorum merita, vel culpas dignoſceret. Presbyteri humilitatem vetus auctor prefert ceteris eius virtutibus, quamuis eas multas egregiaſque fuiſſe oportuit, vt doceat hominem in agone huius vitæ neceſſario militaturum, mediumque inter ſpurios, & Beatos Angelos poſitum, hac prefertim teſſera, & ſigno militiæ indicare vtros duces ſequatur. Alias viri laudes conijcito hoſpes e Sacerdotali dignitate, & Monachorum Prefectura, qua conſtat ea tempeſtate non niſi ſummos viros perfunctos. Is cum aliquando Sacris Euchariſtiæ litauiſſet, & iam ex more Sacre Sinaxis ſingulis fratribus ex ea particulas diſpertiretur, prope Aram vidit Angelum decore affulgẽtem quorundam nomina libello inſcribere, quorundam preterire. Ipſe cum pretermiſſa altius memorie commiſiſſet, abſoluta Sinaxi ſingulos ſeorſum interrogauit, an ſibi cõſcij cuiuſquã criminis auſi eſſent Sacris myſterijs participare? Inopinantes animos veritas confixit, & conſcientia tacta religione aperuit Sacerdotis imperio, quam recte nomina ſingulorum Angelus dimiſiſſet. Reos mortalis delicti ſacra accepiſſe palam fuit, quod tamen ſcelus vniuerſis pœnitentia obliterare paratos eſſe ipſa reatus confeſſio, & ſubſequentes lacrimæ ſatis demonſtrabant. Piamon, quamuis ex æquo immane Sacrilegium criminibus adiectum deteſtaretur, tamen Redemptoris exemplo admonitus etiam pro ipſis Crucifixoribus orandum, vt horum pœnitentiam iuuaret, noctu diuque ſupplex, & collacrimans ſeſe excruciauit, donec his veniam patratorum ſcelerum impetrauit. Dimiſſæ culpæ, & conciliatæ diuinæ voluntatis indicium tulit altera Sinaxis, qua Piamon ſacrificans aſpexit Angelum ex more nomina communicantium ſacris in libellum referre; & cum ad eos perueniſſet, quorum olim memoriam neglexerat, audiuit illum ex nomine pœnitentes ad Sacra inuitare, vnde eos agnouit, & albo reſtitutos, & gratiæ. Sed vetus hoſtis Sacerdotis zelo, & Monachorum ſaluti infenſus, quod preter inuiſibiles eius fraudes, & luxuriantis vitæ huius illecebras, expedita virtutum via ad æternam felicitatem pertenderent, & quicquid ipſe mali fragilioribus ſuggereret, Piamonis prudentia, & monitis reiceretur; Deo in ampliorem ſui gloriam, & Presbyteri decus permittente, acerrime in ſeruum ipſius flagris, & tunſionibus ſæuijt. Et quemadmodum olim Antonius ab eodem peſſime cæſus, &

T pene

pene confectus iacuit, ita hic semimortuus neque se loco vlterius mouere, neque exurgere. Vigebat tamen virtus, & in laudes summi Conditoris effusa, sibi triumphum canebat eo nobiliorem, quo deterius liuere corpus spectabatur. Recte itaque putamus hunc extremum Dæmonis conatum, & summam violentiæ eius extitisse; nam desperata victoria iugis belli, & in acie fractus ab eo sæpius, tunc demum a castrensi militia ad grassationem conuersus, misellum corpus, victoris animi vile mancipium, (quàm digna vltio?) ad satietatem cecidit. Piamon vero sua clade longe molestius ferebat illatum Patribus incommodum; quia Sinaxi dies indicta erat, qua sacris operari illum oportebat, eaque alijs ministrare. Stata die conuenere ex Eremo vniuersi; sed tantum aberat posse Piamonem ceteris Sacramenta impertiri, vt neque sibi necessaria susciperet. Attamen Deus insigni miraculo effecit, ne odium inprobi hostis obesset Sanctorum charitati. Decumbentem circunstabant plures, qui in eo animi constantiam, & hostis nequitiam intuentes, religiosæ militiæ doctrinam efficacius hauriebant. Hos Presbyter precatur, vt se ad Ecclesiam ferant, & coram altari sistant. Illic potius vt aliorum voluntati, quam suæ saluti consuleret, aliquandiu orauit, & absoluta oratione conspexit Angelum altaris custodem, & nominum receptorem, iacentem sese erigere, sentitque illico depulso omni languore sibi vires, & salutem restitui. Ita sacris ministerijs aptus, & corpore vegetior quam olim sibi visus esset, sacerdotale munus persoluit, & postea Angelos magis familiares habuit, quos tunc sacrorum custodes, & pugilum tutelares proprio exemplo didicerat.



NOTÆ.



E Piamone ſcribit Euagrius cap. 31. Sozomenus lib. 6. cap. 29. & Niceph. lib. 11. cap. 35.

Idem omnium de Sanctitate ipſius, & Angelorum viſione conſenſus eſt.

Hunc Piamonem teſtatur Caſſianus conueniſſe, & auctor facit collationis decimæ octauæ de 4. generibus Monachorum.

De eodem ſcribit collatione 17. cap. 24. quod cum apud quendam Monachum diuertiſſet, qui hoſpiti ſuo vinum, & vuas appoſuerat, quibus ab annis fere quinque & viginti ipſe abſtinuerat, his tamen lubens veſci voluerit, ne ignotam abſtinentiæ virtutem ceteris idem propalaret.

Diolcus Ciuitas, cuius mentio hic habetur, hæret vni ex ſeptem oſtijs Nili fluminis, & nomen obtinet iuxta Græcos ab Nauium tranſuectione, de qua Plinius lib. 5. cap. 9.

Ipſi proximam Eremum ſicut apprime ſterilem, ita Sanctis Anacoretis fecundam, deſignat. Idem Caſſianus ſuarum inſtitutionum lib. 5. cap. 36.

De Angelorum etiam ad Sacrum altare viſione haud abſimile exemplum affert Palladius in Ammona Presbytero apud Diolcon: Quod cum in omnibus conſentiat hiſtoriæ huius Piamonis, me in opinionem trahit mendum irrepſiſſe in codicem, & pro Ammona legi debere Piamonem. Concordant Dæmonis odium, verbera, & Angeli miraculum, quo ſanus ad Aram erectus eſt. Habetur apud Pallad. numero 72.





Multiplici pollens doctrina HIERONYMVS, oris
Varij stupenda præditus facundia,

Arcta Patrum sectans Veterum vestigia, sacro
Vitas eorum prosecutus est stylo.

HIERONYMVS

DALMATA.



IN conſerto virtutum theatro, vbi non imagines ad ornatum, ſed ipſe res fortiter geſtæ ad totius humani ingenij ſtuporem conſpiciuntur, hæreo vnde potiſſime tuum Hieronymæ Elogium deſumam. Quia cum plures ſint, etiam ſingulæ de principatu contendunt. Offert ſeſe eruditio, qua inter tuæ ætatis eruditiores excelluiſti. Eminet cum morum integritate vitæ auſteritas: Et quam maxime vrget ſtudium Catholicæ veritatis, quo turbidi illius ſæculi hæreſes compreſſiſti, ac iugulaſti. Habet tamen doctrina Elogium ſuum iam olim frequens per ora Mortalium, neminem ſciuiſſe quod tu ignoraueris, qui Latine, Græce, & Hebraice diſertus ſacrorum librorum interpres, & reconditarum quæſtionum oraculum vndique conſultum, egregios titulos haud minus digne tutatus fueris, quam merito acceperis. Auſterum etiam vitæ genus ſua laus ſequitur ab his, qui olim ducti ſanctitatis deſiderio tuis inſtitutis adhæſerunt, & hactenus in Eccleſia Dei teſſeram abs te acceptam profitentur. At labores pro Catholica fide pie ſuſcepti, ac ſtrenue exantlati, cum inter Eccleſiæ memorias, numquam interituras, perpetuo floreant, nunc prę ceteris rebus tuis argumentum exhibent inſcriptioni, quam tuæ imagini illuſtri apprime, & ſpiranti etiam ex tabula robur inuictæ mentis, ſubijcimus. Stridon oppidum olim Dalmatiæ, Pannoniæque Confinium, Gotthorum poſtea immanitate exciſum, inter rudera veteris gloriæ hactenus de Ciue ſuo Hieronymo gloriatur. Huic genus clarum ſatis, quod ſeruorum numero, & Villis non exiguis ditaretur. Ingenium vero, ſi in eo humanæ huius magnitudinis contemptum, & in aduerſis rebus conſtantiam ſpectes, regium profecto dixeris. Poſtquam e contubernali pedagogia Puer Romam miſſus eſt inpenſius erudiendus, edidit illic prȩludia Sanctitatis, frequens circa templa, & memorias Sanctorum, qui humum ſanguine aſperſam, etiam reconditis intra ipſius viſcera ſacris oſſibus honeſtarunt. Ita Religio cum Religione coaleſcens iuuenem ab diſciplinis, quas liberales vocant, ad ſacras literas traxit. Vix eas extremis labijs attigerat, cum ab ipſo Deo doctrinam cenſuit expetendam, qui & requiritur. Ideo ſtatim ſacro Baptiſmate ablutus amplius ſeſe religioni, & ſacris ſtudijs addixit. Sed cum prudentiam e ſcholis hauſtam ſciret longe minorem ea eſſe, quæ longo vſu rerum, & pe-

Hieronim. de ſe ipſo & lib. de viris illuſtr.

In Apol. ad Pama.

Epiſt. 57. & 58.

regrina-

regrinatione comparatur,in Gallias abijt, vt multos illic viros, eximias,& ſe-
Epiſt. 41. lectas Bibliothecas inuiſeret. Luſtratas ab eo exacte maximas Prouincias
demonſtrat accurata deſcriptio vrbium, quas barbarorum incurſu dedopu-
Epiſt. 11. latas in Bethleem ſuo poſtea defleuit. Inde patriam reuiſens non longas ibi
moras duxit, peroſus Lupicini Epiſcopi vitia,cuius illic prauitate res Eccleſia-
Epiſt. 43. ſtica peſſum ibat. Cœperat olim animo volutare vitam Monachorum, qui
in Ægypto,Syria,& Paleſtina æternæ ſaluti, & huius vitæ tranquillitati extra
omnem opum,aut dignitatum libidinem,conſulebant, neque abhorrebat ab
inſtitutis vir pius, & ſtudijs ab omni ambitione remotis in vnam ſcripturarũ
doctrinam propenſus. Conſilijs intererant Religioſi comites,qui cum eo in
Eremo militarent,Euagrius Presbyter Antiochenus,Innocentius, Heliodo-
rus, & Hylas, qui ſecum etiam profecti ſunt, quamuis poſtea à latere ipſius
Epiſt. 41. vel obitu,vel rei familiaris ſolicitudine auulſi. Sed e veteri cupiditate, quam
ab exemplo Pytagoræ, Platonis, & aliorum traxerat, placuit primum Thra-
ciam,Pontum, atque Bithiniam peragrare, inde Galatiam, & Cappadociam
adire, mox per Ciliciam in Syriam traijcere; nullibi tamen feriari, quod res
cuiuſque regionis celebriores ex ingenita diſcendi libidine ſcrutari in animo
eſſet. Sic Cilicismos inter Cilices ipſos didicit,vnde Pauli Epiſtolas his in-
terdum refertas facilius enuclearet. Sic plurima viſu percepit, quibus ſuos
commentarios ditauit.Antiochię cum Euagrio aliquandiu conſedit,vt Apol-
Epiſt. 64. linarem Laodicenum audiret tunc alicuius inter Theologos famę,poſtea hæ-
reticorum Primipilarem, & Catholicæ fidei extorrem. His rerum ſacrarum
ſtudijs acuebatur ſtimulus ineundi optatam Monachorum quietem, nec de-
Epiſt. 38. erat hortator magnus inter Anacoretas Theodoſius Antiochenus gratia mi-
raculorum,& ipſius Hieronymi erga ipſum obſeruantia,validus. Alliciebat
etiam animum proxima Chalcidis ſolitudo,quæ procul ab omni populorum
frequentia,& rerum fluctuantis ſæculi ſtrepitu,pulchra Eremitarum ſedes ce-
lebrabatur. Huc tandem deſpectis mundi curis ille ſucceſſit, vna aduerſus ociũ
retenta Bibliotheca, quam ſibi Romæ ſummo ſtudio congeſſerat. Solitudo
exuſta Solis ardoribus,ac proinde ſterilitati obnoxia, iuuenem frugali mẽſę,
Epiſt. 32. & Cœlo temperatiori aſſuetum concuſſit,& varijs ægritudinibus afflixit, an-
tequam Cœlo,ac victui ſeſe aptaret. Prę ceteris illum acuta febris protriuit,
qua vitæ anceps per quietem ſibi viſus eſt ad tribunal Iudicis pertrahi, à quo
de religione poſtulatus, cum Chriſti fidem profeſſus eſſet;tamen nimio Ci-
ceronis ſtudio, quam Chriſtianum deceret, inter illius ſectarios damnatus
egregie vapulauit. Somnium id,an rem geſtam dixerim, quando euigilans
artus laceros ſenſit,& in corpore flagrorum vibices deprehendit? Etiam quæ
Eremi,& ægritudinis ſolatia erant,Innocentium,& Hylam fatum eripuit, &
Heliodorum domeſtica res in patriam retraxit. Eas tamen fortunæ anguſtias
tantum

tantum abest illius animum fregisse, vt etiam debile corpus auderet vili sacco amictum ad loca Eremi atrociora per æstum, & algorem impellere. Cutis iam atro situ squalebat, neque stomachus in morem satis ibat Monachorum, quibus religio erat coctos cibos sumere, quando idem Hebraicæ linguæ desiderio arsit. Sed quo labore vir tricenarius labra latinis, & Atticis sonis sueta, ad hiatus, & stridores Hebræarum vocum detorserit, ipse edisserat, qui scripsit desperata fruge aratrum sæpius abiecisse, & rursus in nouam spem repetijsse. Temperauit tamen Dæmon ab infestatione viri maxime operosi? immo acriori odio exagitauit. Refricabat ei Romanæ Vrbis delitias, coæuorum felicitatem, luxum, & voluptates indultas iuuentuti, & si quam oculis, vel animo vmquam libidinem cępisset ita eam conspectui subijciebat, vt Dei seruus inter saxa Eremi, & arenas feruentes seminudus, sibi videretur inter conuiuia, & choros puellarum lasciuire. Repugnabat his ferox animus, & corporis perfidiam suspectans, ne turpem hosti deditionem faceret, eidem ieiunium acre indicebat, atque noctu diuque per deserta raptatum, lacerumque edomabat. Vbi inter rupes antrum, vel intra telluris arcana hiatus descenderet, ibi locabatur sedes orationi, ibi noctes insomnes, ibi imbres lacrimarum defluebant, & miserum pectus tundebatur, donec repressa carnis, & Dæmonis petulantia agmina Sanctorum spirituum accederent, quibus adiuncta mens sacros hymnos Deo concineret liberatori. Hoc bellum, quod in solitudine iuge fuit, alterum sequitur ab hæreticis, & schismaticis illatum. Optabat diuersa ratione vtraque factio in suas partes trahere iuuenem hunc multæ spei, & Sanctitatis. Hinc Laquei, illinc Retia. Quærunt ab eo hæretici, vnicam an plures hypostases profiteatur in mysterio ineffabilis Trinitatis. Nouerat ipse tunc vocem hypostasis dispari sensu accipi ab Orientalibus, ac Occidentalibus. Ideo Monocerotis exemplo noluit ex incerto fonte latices bibere, nisi prius immisso cornu venena expelleret. Si Hypostasis Vsiam, siue substantiam designat, vnam confiteri se in Sancta Trinitate hypostasim. Si autem personam significat, credere se tres in eadem distinctas hypostases. Itaque Omousion Sanctissimam appellans Trinitatem quanto acutius eorum fallaciam reiecit, tanto atrocius odium sibi conflauit. Schismaticorum autē Lis altius repetenda. Ecclesiam Antiochenam id temporis tres Episcopi distrahebant. Meletius insignis Confessor, sed ab Acacianis, & Eudoxianis (Arianorum germina erant, quibus idem aliquando consenserat) ab Episcopatu Sebasteno in eam sedem accersitus, quamuis Catholicus probe euasisset, & ab Arianis in exilium pulsus esset, tamen rediens eo nomine plures Catholicorum infensos habebat. Dum hic exularet, Ariani vacuam nacti eam sedem Euzoium olim Arij hæresiarchæ comitem, ac propterea cū eo damnatum, & clericatu abdicatum, eo intruserant; quare seueriores Catholici

Epist. 22.

Epist. 57. & 58.

tholici vtrumque auersantes, Paulinum optimum virum initiatum à Lucifero Episcopo Calaritano pro votis expetitum, acceptumque retinebant. Euzoium prӕter sectarios suos quis bonorum respiceret? Meletio fauebant Episcopi Orientales, Paulino Ægyptij, & Occidentales, ac prӕsertim Athanasius ille Alexandrinus Arianorum tormentum, qui eundem Romæ apud Pōtificem Maximum commendans etiam Romanæ Sedis communione firmauerat. Cum igitur Hieronymus procaciter ab his tum fidei, tum communionis postularetur, dixit illam se tenere fidem, illum Episcopum suscipere, quem Romana Sedes erecta super basim diuinæ auctoritatis, & Apostolicæ doctrinæ, sentiret, reciperetque. Adiecit ad eiusdem Sedis Antistitem Damasum de his Epistolas, quæ extant doctrina, & zelo religionis prӕstantis. Hinc odium vtriusque factionis plurimum creuit aduersus Hieronymum,
Epist 77. neque cessatum est ab iniurijs, & offensis, quousque ipse improbitati eorum cedens Eremo exiret anno initæ solitudinis quarto. Antiochiæ deinceps Pau
Epist. 61. lino adhæsit, quem Damasus sequi iusserat, a quo etiam passus est Presbyter ordinari, nulli tamen Ecclesiӕ prӕfici, quia Monachalem etiam tunc quietem,
In Esaiam cap. 6. ac libertatem respiciebat. Interea ne aptam studijs literarum ætatem frustra tereret, Constantinopolim proficiscitur, vt Gregorium Nazianzenum Theologorum celeberrimum recens in Episcopatum illius vrbis euectum audiret, quem impense coluit, & Prӕceptorem suum appellauit. Sed illo non diu postea eam sedem vltro abdicante, & in schismate Antiocheno in locum Meletij defuncti subrogato Flauiano, alijsque pluribus Ecclesiӕ negotijs exigentibus, cum Romæ conuentus Episcoporum etiam Orientalium indictus esset, inter
Epist. 27. eos Epiphanius e Cypro, ab Antiochia Paulinus, enauigarunt. Hieronymus etiam Byzantio subsecutus à Damaso Pontifice optatius accipitur, quia eruditionis opinionem olim scriptis probatam, etiam in rebus maximis coram
Epist. 51. experiri cupiebat. Soluto itaque conuentu ab eodem sacris Scrinijs prӕficitur responsurus his, qui ex toto terrarum orbe Apostolicam Sedem consulerent. In eo munere vir pius, & eruditus nihil minus prestitit, quam Pontifex sperauerat. Prӕterea, quod inter publicas occupationes stupeas, priuatam Monachi vitam agens, nihil suetæ austeritatis, orationis, & lucubrationis remisit. Ibi Psalterium olim studio septuaginta interpretum ex Hebræo Græce redditum, & Latinis minus scite donatum, ad veterem translationem restituit. Item Sancta Euangelia, quæ hactenus in Ecclesia leguntur, e Grӕco Damasi iussu emendauit. Sanctorum triumphos, more olim fastorum Romanæ vrbis, per dies breui compendio digessit. Heluidij oblatrantis aduersus perpetuam Mariæ Deiparæ virginitatem, & cœlibatus sanctimoniam, os impurum insigni commentario obstruxit. Luciferianos item schismaticos, qui iras Luciferi Calaritani Episcopi ob non receptum ab Antiochenis Paulinum, &

ab Ale-

ab Alexandrina Sinodo restitutos Episcopos pœnitentes, qui aliquando Arianis consensissent, mordicus vindicabant, dialogorum libro compressit. Sacrorum librorum, quos coram promiscuis Romanæ nobilitatis auditoribus interpretabatur, abstrusiores quæstiones scripto enodauit. Plurimos etiam eorum ad religiosioris vitæ rationem traxit, ex quibus sat erit Pammachium, Oceanum, Albinam, Marcellam, Paulam, & Eustochium memorare, vt genere, & opibus pręclaros; ita postmodum sanctimonia, & humilitate longe excelsiores. Verum qui admiratione suæ virtutis optimos sibi conciliabat, pessimos lędebat, qui morum disparitati infensi, & liberiore interdum facundia coerciti, famam ipsius perinde impetebant, ac diuitum fœminarum obsequia, & vulgo opinionem doctrinæ aucuparetur. Arrisit odio mors Damasi, cum qua etiam Hieronymi collapsa auctoritate, impij viri contra eum debacchati sunt. Ipse tamen in obitu Sancti Antistitis plus dolens Ecclesiæ iacturam, quam suam, & liberas habenas nactus sui ipsius, maluit sese obtrectatorum inuidiæ subducere, quam vindex suæ iniuriæ Romæ spectari. Recrudescebat cupido solitudinis, cuius gratia olim Antiochiæ, nuper Romæ maiores potuerat dignitates recusare. Igitur cursu in Orientem instituto Cyprum appulit ab Epiphanio amice exceptus. Inde Antiochiam perrexit vt Paulinum inuiseret, mox Hierosolimam vt sanctaloca lustraret. Ibi secessu delectatus ruris Bethleemitici, quod Verbum æternum humanis natalibus consecrauerat, statuit illic omnium fortunarum metam, & quietis portum locare. Ea propter locum diligens secus viam, qua Archelai quondam regis sepulcrum aditur, cellulam Eremitæ, ac studioso aptam extruxit. Ea maiora deinde incrementa accepit quando Paula Consularis fœmina cum filia Eustochio in Bethleem venit, & latum monachis Cœnobium, tria Virginibus collegia ædificauit, & his hospitales ædes adiecit, quibus peregrini exciperentur. Monachos ille diutius rexit magis exemplo, quam imperio, exprimens in seipso virtutes, quas alij æmularentur. Nullus ocio locus; nam orationem lectio insequebatur, & obliuionem mensæ, ac lectuli, sæpe stilus inducebat. Fortassis non exerendus is fuit aduersus monstra nouarum hæresum? Eo primum Iouiniani mores, & blasphemias duplici volumine proscidit, deussitq; Et post annos quinque adhuc incitatus discendi cupiditate Alexandriam accessit, vt post nauatam operam Apollinari, & Gregorio Nazianzeno, alteram daret Didymo illi Cæco Alexandrino spectati ingenij, & doctrinæ viro. O quam mira in cæca vulpe pellis inuersio. Origenis erroribus addictus, quia sciebat Hieronymum his stomachari, abstinuit quemquam probis auribus instillare, cum tamen eodem tempore Ruffino Aquileiensi nouorum dogmatum appetentiori venenum misceret. Libuit ab Alexandria Ægypti oras circumire, & Nitriæ Eremum, ceterasque Monachorum sedes scrutari,

Epist. 99.

Lib. 3. contra Ruffi.

Epist. 69.

Lib. 3. contra Ruffi.

in quibus tamen prẹter opinionem aspexit aspides,(nempe Origenistas) latere. Demum in Bethleem reuersus iterum hebrearum literarum amore flagrauit, vsus prẹceptore quodam Hebræorum eruditissimo, quem multo precio ductum noctu audiebat; ne odium ille propriæ gentis subiret. linguæ studium etiam locorum notitiam requirebat, vt eorum testimonio obfirmarentur, quæ passim gesta per Iudæam ex Sacris literis didicerat. Ea propter Iudæa vniuersa lustrata. Interea temporis Ruffinus, vt libris Periarchon Origenis fauorem etiam apud Occidentales piscaretur, eos Latine ediderat, & prẹfatione honestauerat, qua mire efferebat Hieronymum quasi Origenis admiratorem, cuius opuscula quoque transtulisset. Sed cum a viris Catholicæ fidei, & emunctæ naris, liber deprehensus esset impijs erroribus scatere, etiam Hieronymus in prẹfatione laudatus insinuabatur fauere Origenis opinionibus. Res primum Romæ a Pammachio, & Marcellino comperta, eorum literis in Bethleem ad Hieronymum perfertur, qui dignum sua fama ratus falso inductam personam detrahere, apologeticum edidit veritatis aceto, & eloquentiæ sale conspersum, quo ab omnium animis æruginem indignæ suspicionis effricuit. Patuere ex eo Origenis venena, & Ruffini consilia, qui vt ea honestis titulis latius diffunderet, laudatorem Catholicum in suam rem falso citauisset. Perstrinxit etiam inter Origenistas plures tacite eo morbo laborantes, qui suppressa motus occasione in auctorem exarserunt. Ex his Ioannes fuit Episcopus Hierosolimitanus æque Hieronymo, ac Epiphanio infensus, qui ansam quæsiuit suas, & Sectatorum iniurias vlciscendi. Inde fluxit occasio. Epiphanius nuper in Palestina Paulinianum Hieronymi fratrem in Presbyterum promouerat, vnde Ioannem furor inuaserat ac si intra limites suæ diocæsis contra scita Conciliorum immaturum quoque sacerdotio iuuenem initiasset. Querelis non sola Palẹstina, sed etiam proxima Ægyptus expletur, & indicitur anathema his, qui Paulinianum rite initiatum affirmarent. Visus proinde iura suæ diocæsis tueri, recta Hieronymum impetebat: qui licet satis ostendisset Paulinianum annos triginta natum iuxta Canones rite Sacerdotium accepisse, & Monasterium, in quo Sacra habita fuerant, non Hierosolymitanæ, sed Eleutheropolitanæ Ecclesiæ subiectum esse, atque si quicquam iniuriæ limiti illatum esset, id potius a Cæsarea Palẹstinæ Metropoli, quam ab Hierosolymis repetendum; tamen ex ingenita humilitate, ac reuerentia ab ingressu templi dominici Prẹsepis aliquandiu abstinuit. Neque tamen rationes, & obedientia, cohibuere effrenem Ioannis animum ne in deteriora prolaberetur, & a Theodosio Augusto rescriptum extorqueret, quo idem cum grege Monachorum in exilium truderetur. At Dei benignitas votorum iniquitati intercessit, & rescripto antiquato monstrauit Ioannem non tam iuris, quam odij causam actitasse. Prodijt tota res quando ad Syno-

Epist. 65.
Epist. 66.
Apolog. in Ruffinum.
Epist. 61.

Synodum Alexandriæ coactam vocatus friuolis admodum excusationibus conuentum Episcoporum elusit, creditus ideo Origeni fauere, qui ibi tunc primum a Theophilo Alexandrino suffragantibus vniuersis damnatus, Romæ postea ab Anastasio Pontifice census extra classem Catholicorum cum sequentibus explosus est. Etiam Ruffinus, qui libros Periarchon minus fideliter vertisset, & subdole ad Vrbem attulisset, eiusdem hæreseos tunc postulatus, cum accedere noluisset, eadem sententia percellitur. Neque illic Hieronymus sibi ipsi deerat, missa ad Auitum Epistola, siue nota eorum, quæ cauenda essent in libris Periarchon. Demum vt obtectam adhuc velis Scenam denudaret, eosdem libros e Græco codice scite ac fideliter transfert, & Romam transmittit. Hinc Ruffini furor, quo sibi incendium excitauit, dum parat Hieronymum maledictis incessere. Euomuit amarulentam quatuor librorum apologiam, quæ nimijs contumelijs læsam viri patientiam, stilumque ad vltionem prouocauit. Sed qualis vltio? Non armis, vel odio, sed fulmine veritatis, & Orationis tonitruo cordis penetralia quassans, ac decurrens. Ruffinus deinde neque probe Catholicus, neque satis eruditus haberi. Mirum tamen in Hieronymo fuit, quod tot iaculis appetitus, tot calumnijs traductus, numquam a charitate deflexerit, & qui obiectum falso probrum hæresis genuino dente vlciscebatur, vbique procurata beneuolētia Christianam modestiam exerceret. Tandem alio stilum conuertens nouis lucubrationibus Ecclesiam locupletauit. Librum confecit de viris illustribus, qui scripto sacram rem iuuerunt. Item vitas Pauli, Hilarionis, & Malchi Eremitarum. Eusebij Cæsariensis Chronicon Latinitate donauit, & ad sua vsque tempora produxit. Prophetas ferme omnes commentarijs illustrauit, visus prę ceteris antiquorum, propiori ad eos spiritu peruenisse. In Pauli Epistolas item commentarios edidit. Mox contra nouas hæreses insurgens, Vigilantium turpissimæ opinionis auctorem, atque pinguium nostri temporis hæreticorum archetripum, quamuis antea in pugna Iouiniani collisum, tamen specialius editis in eum libris protriuit. Pelagij etiam errores, quasi Regulos ex ouis Origenistarum eductos, acutissime confutauit, lætus in eo pręlio commilitonem habere Augustinum doctissimum, & Sanctissimum. Dum ea scribuntur nihil tamen prętermittitur sanctæ austeritatis, orationis, & familiaris solicitudinis, sed animo nobiliore etiam hospitalitati patrimonium designatur. Quippe cum vicinia sanctorum locorum, & ipsa Dominici Pręsepis religio, innumeros inuitaret peregrinos, ædes antea constructæ a Paula nuper defuncta longe impares numero aduentantium videbantur. Igitur Paulinianus in patriam dimittitur, qui villulas a barbarorum depopulatione superstites vendat, ac precium referat nouis ædibus, & Hospitum expensis dispertiendum. Pręter ea quæ hospitalem œconomiam spectabāt, cura eiusdem erat peregri-

In prefa. super Ezechiel.

Lib. 3. contra Ruffin.

nos hilari fronte suscipere, pedes abluere, & cibos discumbentibus apponere. Etiam cibo adiectos de diuinis rebus sermones ab erudito, & sancto viro quis neget? Frequentiæ hospitum addebantur Legationes eorum qui ab extremis Hispaniarum, Galliarum, & Africæ regionum, (vt de Vrbe Romana sileam), Hieronymi doctrinam pro quæstionum solutione, vel pro sanctitate amicitiam expetebant. Sic ex Africa Augustinus magnum fidei iubar ad eum Alipium, & alios direxit; Sic Orosius, & Sulpitius apud eundem hospitati sunt; sic e Gallijs nobiles mulieres Hedibia, & Algasia; e Germania Sunia, & Fretela; ab vrbe Pammachius Oceanus, Auitus, & alij, quos tædet recensere, postularunt obscura sibi scripturarum arcana reserari, vel subsidia aduersus exurgentes hæreses pręberi. Sed Pater iam senio confectus, ac fessus longa corporis sui maceratione, & iugi literarum studio, vnicam apud Deum liberalem cuiusque operis existimatorem quietem illam affectabat, quam in pręsenti vita nulli hominum contingere vsu didicerat. Corpus peregrinationibus, animum vero hæreticorum vbique insidijs afflictum meminerat, eaque omnia ad eam vsque ætatem tolerata, quæ clausa feliciorem sibi in Cœlo iuuentam numquam occasuram aperiret. Porro eam spem animo semper volutans leui febricula corripitur, quam non morbum, sed nuntium intellexit proximi obitus directum, vt quicquid offitij Monachis, vel sacris Virginibus deberet, festinus persolueret. Sic vniuersis rebus ad æternam requiem compositis, septus Monachorum, & Virginum turmis, quas testamenti loco ad religionis, & castimoniæ propositum hortabatur, octogenario proximus extremum diem obijt non inglorius miraculis, quæ plurima mortem ipsius secuta sunt. Corpus apud Pręsepe Domini vtriusque ordinis frequentia, & lachrimis religiose sepultum, mira populorum veneratione, & concursu excultum est, quousque cum ipso Pręsepi Romam translatum, in eodem templo Mariæ Virginis, retento veteri apud Pręsepe iure sepulcri, honorifice reconditur.



NOTÆ.



X Simbolo Leonis, qui Hieronymo appingitur, ingenium illius accipe magnanimum, & imperterritum, quo pre foribus Catholicæ Ecclesiæ excubans, irruentes hæreticos dicto, scriptoque lacerauit.

Inter summos Ecclesiæ Ipsius doctores, & Diuos recensitus, diem celebrem sui obitus retinet extremum Septembris.

Omnium ætatum scriptoribus innotuit, & dignis sua virtute elogijs honestatus est.

Illum Sanctus Augustinus Latinæ Græce, & Hebraice eruditum in sacris locis, ac literis instar lampadis Ecclesiæ resplenduisse scribit in libro aduersus Iulianum.

Inexpugnabilem turrim Catholicorum, atque infatigabilem hæreticorum hostem, appellat Marcellinus in Chronico.

Catholicorum Magistrum nuncupat Cassianus lib. 7. de Incarnatione verbi.

Morum exemplum, & mundi Magistrum dicit Prosper in libro de Ingrat.

Vitam ipsius olim à quodam imperito fabulatore titulo Eusebij, vel Cirilli Hierosolimitani, conscriptam iure merito reijcit Baronius in Annal. tomo 5. & alteram ex operibus eiusdem Hieronymi concinnatam auctore Mariano Victorio commendat, ex qua hoc elogium constat.

Purpurei galeri insignia, & Cardinalis titulum eruditiores non admittunt.

Vulgatum Leonis miraculum non Hieronymo, sed Gerasimo Anacoretæ contigisse in confesso est, sed apud sæcula minus erudita ex nominis propinquitate alteri vsurpatum.

Qui laudatores Hieronymi audisti, etiam ipsius hostem maledicum nosce Palladium Galatam Ruffini, & Euagrij sodalem, In memoria ipsius Hieronymi numero 78. in Posidonio num. 77. & in Paula Romana num. 125.



IN TYRANNVM,

quem

D. LAVRENTII MARTYRIO

Adstantem picta tabella referebat.

Ode


Mmanem miser æstuas
Illatis scopulum findere nauibus,
Quem sæuo Deus æquore
Infixit Boreæ & fluctibus obicem.
En quo deterius iubes
Inuicti iuuenis membra nigrescere
Christum lingua potentius
Testatur dominum; ludit & asperum
Cratis supplicium Fides,
Nec strictis gladijs cedere conscia.
Sic aurum impositum focis
Effulget mage, sic pondere saxeo
Palma attollitur altior.
Victrices animæ funera nesciunt.

AD VRBEM REGIVM.

Pro Translatione Sancti Proſperi.



PROSPER ſidereas vectus ad orbitas,
Diuinis licet obtutibus emicet;
Immixtuſq; beatis
Ducat cælitibus choros.

Dilectam tamen hanc oſsibus, vt ſuis
Vrbem nobilitat, ſic meritis fouet:
Spectans æthere ab alto
Supplex ad tumulum genu.

Nec nomen minus his ſedibus, aut decus
Debetur, veteres quam ſibi vindicent
Conciues Aquitani,
Quos natalibus extulit

Hic plebem erudiens præfuit, hinc diu
Scriptis exagitans hæreticam luem
Famam extendit ad Indum,
Quam dudum audierat Tagus.

Quot captos oculis, quot pedibus graues
Curauit precibus? quot iuga deſides
Mouit ſcandere cæli
Explanans iter arduum?

Atque, vt Threicij laus fuit Orphei
Syluas, ſaxa, feras carmine ducere;
Ciues ipſe ſequentes
Deduxit cytharæ modis.

Vt ſi nunc ſtudeas, Regia Ciuitas,
Pompis, ac tumulo nobilioribus
Cultum augere Patroni
Exquiras proprium decus.

Amice Lector. Æquum eſt te ſcire hanc Oden deberi exquiſitæ diligentiæ Domni Hermagoræ Patauini, qui vſus eximia in amicum defunctum pietate, & excuſſit omnes angulos priuatarum Bibliothecarum, & impenſa communis Monachorum Arcæ, cui merito præeſt, curauit vt hic Liber hac luculenta ſpecie typorum & imaginum vt vides prodiret.

INDEX ELOGIORVM.

Quicquid ex aliis desumptum, quicquid a nobis adiectum est, Catholicæ censuræ subiectum esto.

Si quid impie, imperite, vel indecore insertum pij lectoris mentem solicitauerit; irritum, cassum, nullumque, & preter voluntatem auctoris irrepsisse, idem fatetur, reuocat, deletque.



POSTERITATI

Ex rebus à Sereniſſ.

LEONARDO

DONATO VENETIARVM

PRINCIPE

Hactenus geſtis Incitamentum.





ABENT Viros qualibet ſæcula, quos cum exactis conferant, vel ſequentibus obijciant exempla virtutis; vt ſi quis antiquos præ cęteris euehat, non minimam inurat Naturę notam fractæ virtutis, vel minoris in poſteros charitatis. Et quamuis ipſę tempeſtates bellorum occaſione, vel inter ciuiles rixas tuendæ publicæ libertatis, quoſdam clariores effecerint, eos tamen non ingenio, quod pluribus eadem liberalitate tributum oportuit, ſed rerum euentu, quas contigit tum præclare agi, altius prouexerunt. Sic plures Alexandro Macedoni æquales, ac forſan bellicæ rei peritiores, tum duces, tum milites, leguntur Romæ excelluiſſe, quos iuge bellum pro aris focisque naſcentis vrbis aduerſus finitimos hoſtes detinuit, dum ille feliciori decurſu latius inter Orientis populos famam, impe-

 riumque

riumque extenderet. Sed neque cum ipso Rege potuit belli gloria interijsse, cùm Romani post non multa sæcula conuulso Macedonum Imperio, victricia item arma eadem virtute Orienti intulerint. Itaque claritudine auos aliquando nepotes anteiuisse, & recentiores æquasse veterrimos, non tam ingenij, quam rerum opportunitatis fuit. Plura hac ætate, qua armorum, ac literarum studia æque feruent, ingenia conspiciuntur, quæ ex occasione ad veterum titulos accedant, sed vnum è Venetorum Republica, quod præ cæteris ob oculos sit, LEONARDVS DONATVS *Princeps non solum conferendus cum Ducibus illius sæculi, quo anxia inter bellorum turbines Veneta res totam se eorum virtuti commisit, verum etiam his preferendus, qui pacato æuo vitæ integritate, rerum omnium peritia, ac fideli vbique in patriam nauata opera, hactenus habentur clariores. Et quamuis belli coram administrandi defuerit occasio, neque tamen inuidia militarem gloriam eidem facilè detraxerit, cùm eo apud Hispaniarum Regem agente bellum in Turcas fortiter susceptum, ipsius item impulsu, consilijsque prospere gestum sit; & alterum recens Italiæ imminens summa prudentia difflatum. Accedit ipsius nomini, quòd plerique militaris gloriæ appetentiores studeant ex bellis bella serere, qua sibi imperium, qua laudis occasiones prorogentur; ipse ne publico incendio eluceret, flagranti prope iam bello faces subtraxit. Quod apud alios maximum, ipsi minimum est, qui ex traduce Donatæ gentis egregiam pietatem erga Rempublicam, & ex Schola Philosophorum æquam animi moderationem trahens, grauiora quæque onera libentius subeat, ac periculis caput, famamque obiectet, vbi patriæ quicquam intersit securitatis, aut dignitatis. Exprimunt vtramque virtutem res ab eo gestæ domi forisque, postquam ex Academia in Rempublicam traiecit; namque ab ipsis magistratibus, qui pro eiusdem Reipub. limine multæ spei adolescentibus deferuntur, feliciter adeo sola virtute nixus ad supremos conscendit, vt neque Patres aliquando maximos eidem iniunxisse pœnituerit, nec ipse minorem his contulerit existimationem, quàm acceperit. Extra Vrbem Prætor Brixiensis designatus preturam agri*

vasta-

vastitate, ciuium factionibus, ac finium suspicione semper solicitam insigni ipsorum ciuium beneficio, & admiratione gessit. Mox inter Summos Reipubl. Consiliarios, & quos Senatus peritiores vocat, delecto, vix aliquando contigit collegio abesse, vel maximis rebus decreto ipsius Senatus non immisceri. Inter cæteras enumerantur ad Pontifices Maximos septem Legationes, quot nunquam alteri iussæ, quarum partim honestarunt officia erga nuper euectos ad eam Sedem Antistites, quæ è dignitate Reipubl. regio omnium rerum apparatu, ac publica oratione (Leonardi onus) peraguntur; partim difficiles, ac molestas fecit temporum ratio, quibus accidit non Venetam solum, sed totam Christianam rem premi. His tamen non impar ipsius Prudentia tolerando, ac prospiciendo egregiè adeo inseruijt, vt domestico exemplo eximij viri Hieronymi Donati turbida olim tempestate apud Iulium II. Pontificem Oratoris, coegerit ipsa tempora in dies pacatiora patriæ rebus deseruire. Licebit cuiquam e rebus vulgatioribus abditissimas introspicere, & ex vna basi ingentem columnarum molem metiri, quibus eodem Architecto suffultum Galliarum regnum stetit, ne bello ciuili collaberetur, si meminerit Donatum Romæ apud Sixtum Pontificem extra ordinem Legatum consilio, & eloquentia Henrico IIII. ad Christianissimam dignitatem obseptum iter aperuisse, quod secutæ tranquillitatis ac securitatis fundamentum initiumque habitum est. Præcesserat olim Hispanica legatio etiam in quadriennium prorogata, qua fœdus aduersus Turcas coactum haud minori studio tunc foueri oportuit, quàm postea dissolui. Maximum ibi pondus incubuit, Fœderatis Venetam fidem reposcentibus, plerisque sugillantibus, ostendere, ea pace, quam opportune ab hoste receperant, vnicè consultum esse patrijs rebus, afflictis æquè hostium impetu, ac auxiliarium cunctatione; neque ab dignitate, vel fide Reipublicæ discessum. Alteram item legationem ad Rodulphum Cæsarem obijt, qua eidem collatum Imperium gratulatus etiam quorundam Principum mentes erga Venetum nomen ancipites multis officijs obfirmauit. Neque disparem locum eadem officia habuere apud Ma-

hometem inter Othomanos huius nominis III. cùm pacem nouaturus Bizantium accessit, nouatamque æquiore fœdere adiecit publicæ tranquillitati. Attamen neque prorsus mirandum maximos totius orbis terrarum Principes ingenio tanti viri flexos, delectatosque, cùm sub ipsa adolescentia vetus Orator Venetum Senatum ex pręcipuis Oratoribus fermè delectum potuerit frequentius ab discessione in sententiam reuocare. Allexit etiam adeo populare ingenium, vt Prouisor terrestrium Apparatuum creatus (ea pro Summo Imperio maxima est inter militares pręfecturas) inter acies, & armorum strepitus, neque indicto silentio, libentius audiretur. Sed qualis tunc Veneta res, vt Senatori emeritæ ætatis, quam tot itineribus, tot Magistratibus fessam vix trahebat, difficillimam, & apprime laboriosam prouinciam iuberet? Æstuabat ob eorum consilia, qui post sedatos Gallorum, & Allobrogum motus videbantur non obscure Italorum Principum quieti, ac potentiæ inuidere, atque coacto antea militi, tum vacuo, prędam ipsam Italiam polliceri, si bello licuißet ipsius libertatem vno potissimum Venetorum studio sarctam tectamque euertere. Neque consilijs artes aberant erant etiam obtento pacis velo nequiores. Egregie proinde ab eo pręstitum est quicquid publicæ rei, ac priuatæ existimationi debebatur. Arces commeatu, milite, tormentis communitæ. Disciplina militaris vbique restituta. Delecti in militiam plures, atque in posterum censi, qui ad repentinos tumultus nomen darent. Ita sublatis è prouincia periculis, & grauioribus rebus arbitrio confectis in Vrbem rediens summa omnium ordinum gratulatione excipitur, visus ferè (nec omen fefellit) ad supremam Reipublicæ dignitatem capeßendam aduenisse. Quippe inter cętera Imperij portenta censebatur Palma oppidum, quod S.C. aduersus exterorum irruptiones Italicæ securitatis propugnaculum decretum, olim auspice eodem Leonardo fundamenta acceperat, tunc auxiliante excreuerat in eam molem, quæ hostes arceret, vel subeuntes spe deijceret potiundi. Etiam ad culmen Senatorij ordinis promotus Sacrarum rerum studio, ac pietate inter Pro-

curatores

curatores Diui Marci cooptatus antea fuerat, è quorum numero sæpius accidit Duces designari. Itaque Marino Grimano Optimo Principe paulo post vita functo facilè omnium in se ordinum oculos conuertit, vt quamuis multiplici suffragio res transigenda esset, tamen ipse omnium votis iam Dux Reipublicæ præesset. Nihil enim videbatur deesse optimo Senatori ad eam dignitatem. Non familiæ claritudo altero principatu memorabilis. Non vitæ innocentia Studio Religionis etiam apud æmulos celebris. Non politicæ rei peritia; non spectata vbique ipsius administratio; non studium erga patriam, non merita. Accedebant Naturæ dona, quibus eundem visa est ad Imperium exornasse. Corpus ad labores tolerandos ea ætate firmum satis, prospera valetudo, & ad augendam maiestatem oris dignitas etiam ætate venerabilis. His Naturę, Virtutis, & Patrię fauoribus, annum agens septuagesimum amplissimo suffragio Princeps renuntiatus, mox patrio ritu inauguratus, illico se Principatu maiorem ostendit. Et cùm vniuersis rebus intersit, easque pro summa experientia certis consilijs efficiat, neque tamen literarum studijs abstinet; sicut tanta rerum mole grauis, atque insignibus Serenissimæ dignitatis eminens, nihil præterit priuatæ modestiæ, atque congenitæ erga Ciues affabilitatis, comitatisque. Immensum porro, inuictumque animum è dignitate Reipublicæ opportunè gerens, iam satis docuit Optimum domi ciuem Maximum in curia Principem esse, cui Reges, ac Cæsares concedant, vbi auitam libertatem, ac dignitatem Veneti nominis tueri necesse sit. sic illam belli pacisque artibus defendit; sic aduersus strepentes hostium conatus obiectis castris hanc retinuit, vt minas armis exceperit, quamuis prudens lubensque à cæde temperauerit. Subierat namque vigilem animum ea cura, vt aliquando in Christiani Orbis Theatro detectis eorum cuniculis, quorum in turbido consilia Venetorum gloriam impetebant, sincera Reipublicæ voluntas in aperto foret, quò studiosi Italicæ libertatis intelligerent communi ipsius periculo Venetorum gratiam apud Apostolicam Sedem perpetua Religione initam, & obsequijs firmatam, maleuolos in-

los in-

los inuidisse. Itaque haud immerito visus est egregiè de his triumphasse, cùm pace inuiolata, rebus compositis, sublatisque dissidij occasionibus bellum confecit, quod ex initijs creditum est propediem totius Europæ prouincias excursurum. Diu viuat qui nuper im meliorem spem ex aduersa valetudine mortis periculum euasit.

I. C.

VENETIIS, Ex Typographia Pinelliana, Anno 1625.

Superiorum Permissu, & Priuilegio.

